Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Tarnow

Johannis Tarnovii S.S. Theol. D. & in Academia Rostochiensi Professoris In Prophetam Haggaeum Commentarius : In quo Textus Analysi perspicua illustratur, ex fonte Hebraeo explicatur, Locis S.S. parallelis confirmatur, a pravis expositionibus vindicatur, Usus vero in Locis Communibus ex ipsa scriptura natis ac probatis indicatur ; Adiectus Est Index Rerum Et Verborum

Rostochi[i]: Rostochi[i]: Hallerv.: Pedanus, 1624

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729966941

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729966941/phys_0001
DFG

Or. 77 p. Fnd
Pr. 384 p. Fnd
100 p. Fnd.
Pr. 259 p.
Pr 477 p. Fnd
Pr 152 p. Fnd.
Pr. 279 p. Fnd

49. C. 4.

I. d. 1031-7.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729966941/phys_0002
DFG

D. T. O. M. A.

JOHANNIS TARNOVII

S.S. Theol. D. & in Academia Rostochiensi Professoris

In Prophetam

HAGGÆUM

COMMENTARIUS:

In quo Textus

Analysi perspicua illustratur,
ex fonte Hebræo explicatur,
Locis S. S. parallelis confirmatur,
à pravis expositionibus vindicatur,

Usus verò in LOCIS COMMUNIBUS ex ipsa scripturâ natis ac probatis indicatur.

ADJECTUS EST INDEX RERUM ET Verborum.

Exod. 10. vers 9.

נֵלֵךְ כִּי חַג־יְהוָה לָנוּ׃

(§)

ROSTOCHI
Excudebat JOACHIMUS PEDANUS, Acad. Typog.
Impensis Joh. Hallerv. Bibliop. Anno 1624.

Sum Caspari Mori Leon. tini Marchici empt. Rostoch: ... ao 633. mense Septembri

Regi Regum, Domino
Dominorum
JEHOVÆ
SACRUM.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729966941/phys_0006
DFG

PRÆFATIO.

LECTORI BENEVOLO AC CANDIDO.

S.

DUm nonum hunc, Amice Lector, per Dei gratiam in aliquem ex prophetis, quos ita vocant, minoribus edo Commentarium, placuit iterum nonnihil, quemadmodum ad Joëlem, Jonam & Micham factum est, & paucis quidem de iis præfari, quæ in hisce Commentariis potissimùm spectaverim. Ne verò te morer, sic habeto. Quamprimum animum ad hæc sacra conscribenda atq; edēda appellebam, id mihi negotij, ratione professionis meæ ac officij, credebam dari præcipuè, aliis nonnullis, præsertim styli prophetici ignaris, (nam doctioribus longè meliora

dominascuntur) ut prodessent, quæ darem Commentaria, & hunc finem ut assequerer, veritatem in omnibus unicè sectandam esse arbitrabar, eamq; ita proferendam esse censebam, ne propter obscuritatem, (quæ oritur, dum breves esse laboramus) Delio, quod ajunt natatore, vel Oedipo opus foret, nec contrà nimia prolixitas tædium afferret ac molestiam, in cognitionem ipsam festinanti Lectori crearet. Huc spectat à me prolata textus succincta Analysis, locorum scripturæ similium non præter rem aut citra necessitatem facta allegatio, explicatio phrasium obscuriorum, & Locorum doctrinæ brevis indicinæ verius quàm copiosa ac prolixius adornata officina. Dum enim tria potissimùm inveniuntur Commentatorum genera, unum, quod verborum proprietates scrutatur & emphases ponderat, textus cohærentiam sedulò rimatur, atq; ita verum elicere sensum summo conatur studio, usumq; in Locis Communibus monstrare fideliter annititur: alterum, quod Quæstiones & Controversias immiscet multas, atq; invehit sæpius quàm invenit in loco biblico explicando, & hoc pacto laborat, ut magnos emittat libros: tertium, quod ad meras allegorias & seraphica quædam decurrit mysteria, quibus lectorum, juniorum præsertim, mentes oblectantur potius quàm

quàm adjuvantur aut meliores evadunt: ut tertium hoc miror, aliisq; solida fastidientibus transscribo, & secundo suam laudem, quam meretur, libenter relinquo, ita primi vestigia ut legerem, aut saltem pronus adorarem, semper laboravi. Quod dum facio, nec semper vulgo receptam uniuscujusq; loci biblici explicationem sequor (quod tamen rarò fit, & non sine adjecta causa) quæ odia & quam invidiam quorundam in me derivarim, juxta mecum alij norunt. Sed quid facerem? si meliora & veriora quis demonstraverit, ut paratus sum illa amplecti, relictis priùs placitis, ita dum illud non fit, semel ex scriptura (ea enim mihi unica credendorum creditur regula) prolata, ac, ut puto, probata, non abjicio. Si id est peccatum, peccatum imprudentia est, non malitia. Controversias autem intricatas ac aliò spectantes, quàm ad Commentaria biblica; dubia item; præcipuè quæ non sunt in textu, & quæstiones, eas præsertim, quæ alibi solvuntur, cur pro recepto more non immiscearn, alibi volui edisserere. Ea autem, quæ tum dicta, redeunt denique huc omnia, quod, quæ ad expositionem textus præsentis necessariò non requiruntur, ijs libenter in his brevioribus Commentarijs, sine ullo Lectoris damno, supersedeam, citrà alterius tamen præjudi-

judicium quod fiat, qui per me decuplo plura afferre potest. Illud nunc solenniter protestor, quum intelligam esse nonnullos in hisce meis nimis ingeniosos, & sæpe pro sui ingenij felicitate longè alia, quàm quæ in iis habentur, exsculpere, me (quod ait Poëta)

parcere personis, dicere de vitiis,

& tractare Locos Communes professorum more, non instituere homilias ad populum more concionatorum, quorum est singulis annunciare sua delicta, & peculiaria quæq; pro re nata, taxare flagitia. Qui igitur alia ex meis elicit, propriam allegat turpitudinem, non meam exprimit mentem, & suam vel aliorum peccantium prodit potiùs, quàm meam ex verbo Dei generatim peccata accusantis culpam. In verbo Dei enim quum reprehenditur pseudoprophetarum avaritia, mali magistratus crudelitas, aliorum privatorum superbia, luxus, securitas & his affinia vitia, quidni liceat ex illo ad prophetarum elucidanda oracula talia proferre, quum in hoc omnis eorum occupata sit opera, ut bonos in proposito confirment, malos severè increpando emendent? inprimis quum bonis in ordine Ecclesiastico, Politico, Oeconomico suus servetur & habeatur honos, sua tribuatur laus, sua restare dicantur præmia. Quisquis

quis est, nisi quis velit de industria sermonem Dei (verbo utar apostoli) καπηλεύειν, & non ἐξ εἰλικρινείας vera proferre, qui sacras profitetur literas, aliud certè dicere non habet, quàm malos & incredulos, quicunq; tandem illi sint, manere pœnas, bonis autem & credentibus cœli gaudia & æternam paratam esse felicitatem, & hoc unum tum agit, ut illæ evitentur, & hæc unicè spectentur, optimo certè fine. Non immorabor his, quæ vera ac justa sunt, rectoq; stant talo. Ut enim ægrotum non juvat, qui eum rectè valere asserit, nec sanum lædit, qui eum morbo torqueri frustra clamat: ita etiam, qui impiè viventi pulvillos subdit, & se & hunc it perditum, non salvat, & contrà, qui fide prædito cœlum occludit, sibi infernum pandit ipse, non illi, quem irrito ausu orcu destinavit. Sibi itaq; unusquisq; existis generalibus effatis sacris, dum in se descendit, seq; ipsum excutit, potest esse interpres, num ad se pertineant minæ vel promissiones, siquidem benè huc quadrat illud,

Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra
Pectora pro meritis spemq; metũq; suis.

Apostoli hoc est κέλευσμα: ἑαυτοὺς πειράζειν, εἰ ἐστὲ ἐν τῇ πίστει, ἑαυτοὺς δοκιμάζειν. Ego sanè (ut redeam, unde abij)

abij) quum præclara sustentor conscientia, non malo animo talia à me afferri, malorum sermones facilè contemno, qui dum me ex suo spectant ingenio, mirum non est, quod ex benè dictis quandoq; effingant maledicta, & rectè allata pravè interpretentur vel detorqueant, quum ex flore etiam sugant virus aranei, & ex seipsis texant ἀράχνην. Et hæc, Lector Candide, præter morem meum prolixiùs de non candidis scriptorum meorum lectoribus præfari necesse habui. Tu rem in timore Domini ipsam æstima, &, quod facis, juxta monitum Salvatoris, quod tibi tuisq; dictis ac scriptis vis fieri, & mihi meisq; ne graveris facere. Sic te beet, diuq; florentem servet divina clementia, &, dum HAGGÆUM strenuè urgentem templi ædificationem sedulò meditaris, te sibi in vivum templum dedicit, ac sui habitaculum esse velit Trinitas Sacrosancta, cui laus & gloria in secula seculorum, Amen.

IN HAGGÆUM Prolegomena.

Deuteron. 16. vers. 14.

וְשָׂמַחְתָּ בְחַגֶּךָ׃

INter prophetas duodecim, qui vulgò minores dicuntur, hactenus fuerūt illi, ante captivitatem qui vixerūt omnes: post eandem verò tres illi, qui restant explicandi, vaticinati sunt, populum reducem ad restaurationem templi diruti, urbisq; eversæ reædificationem hortantes sedulò, ut propediem in N. T. adventuro Messiæ, cum suo prodromo Johanne Baptista, locus pararetur commodus. Horum primus est Haggæus, cujus prophetiam cum Deo explicaturi initio, more nostro, breviter προλεγομένων loco hæc septem videbimus: *Quis, Quid, Quando, Quibus, Quâ occasione, Quo fine & Quotuplicia* prophetaverit. προλεγόμενα.

Ad primum quod spectat, in scripturâ nobis tantùm indicatur nomen ejus proprium, & sacrum ejusdem officium. Illud est in linguâ sanctâ חַגַּי, hoc est, festivus, solennis, cujus nominis mensuram & omen optimè implet, quando hortatur, ut templū instauretur, in quo deinceps 1. *Quis, & nominis ἔτυμον.*

festivæ solemnitates ritè peragantur, descenditq; à Radice חָגַג i.e, festum celebravit, feriatus est. Hoc solius prophetæ nomine, hebraicè נָבִיא indicatur, quod tamen suâ ἐμφάσει non caret, & ratione ἐτυμολογίας notat eum, qui nil nisi ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενος (ut Petrus per periphrasin quandam id effert 2. epist. c. 1. v. 21.) vel nil nisi θεόπνευστον (ut Paulus 2. Tim. 3, 16. scripturam propterea quoq; nominat) loquitur, quandoquidem verbum, unde derivatur, non nisi in Niphal, conjugatione passivâ, primùm occurrit. Reliqua verò, quæ de se reliquorum prophetarum quisq; notavit plerumq; ipse, nempe

Officij dignitas. נָבִיא

נָבָא

unde domo, quis,

Cujus fortunæ, quo sit patre, quovè patrono, quia Spiritus Sanctus hoc loco tacet, neq; nos curiosiùs de hoc propheta inquiremus. Sufficit nobis præterea nosse, quod sit Haggæus legatus Dei, c. 1. v. 13. & propterea fide dignus, cujus liber est Canonicus in bibliis hebræis à Veteri Judæorum Ecclesia receptus, ac in N. T. citatus atq; approbatus Hebr. 12. v. 26.

Liber Canonicus.

a. *Quid docuerit.*

II. *Quid* prophetaverit, ex hac summâ licet cognoscere. Judæos reduces in exstruendo templo negligentes redarguit, seduloq; hortatur, ut malis, quibus hactenus afflicti sunt, ad moniti, opus restaurandi templi aggrediantur seriò. Quod si fecerint, & se ad Deum, ejusq; cultum converterint, Deum clementer suâ gratiâ affuturum, eosq; non tantùm in hoc opere protecturum promittit, sed & tandem suo tempore facturum spondet, ut per Messiam, qui in eo templo suum peracturus in docendo officium, longè major templi hujus posterioris futura sit gloria, quàm unquã fuerit prioris à Salomone exstructi.

III. *Quan-*

III. *Quando* vixerit Haggæus, satis diserte cap. 1. v. 1. indicat, ubi de hoc ipso temporis momento agemus postea pluribus. Satis est hic notare *primò*, quod cùm post captivitatem Babylonicam solutam docuerit, ipse suavior sit prophetis iis, qui vel ante eam graviter illam ex mandato Dei prædixerunt, vel in eâ homines impatientes ac murmurantes repressérunt: *deinde* quod paulò post, videlicet post solos duos interjectos menses hunc secutus sit prophetaZacharias, idemq; cum eo argumentum tractaverit fideliter ut ita in ore duorum consisteret, meliusq; admitteretur veritas. Vide Esd. 5, 1. Zach. 1, 1. Ubi *tertiò* observandum, quod quemadmodum historiæ, quæ sub reliquis prophetis præcedentibus contigerunt, in libris Regum & posteriori Chronicorum habentur: sic quæ sub horum duorum prophetarum tempus acciderunt, in libro Esdræ & Nehemiæ descriptæ sint prolixius, & proinde diligenter cum his conferendæ vaticiniis.

3. Quando vixerit, post captivitatem.

cum Zacharia.

Historiæ in libris Esdræ & Nehemiæ adjungendæ.

IV. Ex jam dictis obscurum esse nequit, *Quibus* prophetaverit Haggæus, nempe Judæis ex captivitate Babylonicâ in terram suam reductis, qui fundamenta templi tantùm jecerant, sibiipsis domos præclaras exstruxerant, & in illo opere ab hostibus vicinis impediti fuerant.

4. Quibus

V. Et hæc ipsa est, quâ prophetare cœpit Haggæus (quæq; est quintum τῶν προλεγομένων membrum) *occasio*. Cum n. ex captivitate redierat populus, cœpit anno primo reditus, mense septimo, altare exstruere, Esd. 3, 3. anno secundo, mense secundo fundamenta templi, eodem in loco, ubi antea id fuerat, jacit ibid. v. 8. 9. Quando autem varia à vicinis hostib9 injicerentur impedimẽta, quo minus pergere possent in cœpto opere Esd. 4, 1. ex edicto regum

5. Quâ occasione.

Hostium impedimenta.

regum Persaurum, qui Cyro succesſerant, ceſſatum est ab opere ib. v. 4. 5. usq; ad annum secundum Darij regis, qui Cyri edictum renovavit & confirmavit. Esd. 6, 1. 3. Verũ cum idem, quod priùs, Judæi eventurũ putarent, ut medio in opere aliqua ab hostibus objiceretur remora Joseph. lib. 11. antiquit. Judaic. c. 4. & aliàs libentius sua ipsorum curarent negotia, segniùs opus ædificationis templi, quod edicto regis jam denuò permissum erat publico, promovebant, suis singuli rebus intenti. Hos desides itaq; Deus per Haggæum & Zachariam reprehendit; cumq; plagis corrigere hactenus non potuerat, promissionibus excitat, atq; illo quidem successu, ut manum operi admoventes alacriter per annos quatuor opus illud augustum absolverent Esdr. 6, 14. 15. quod fuit ante annos ferme quadraginta duos inchoatum: unde Johannis c. 2. v. 20. quadraginta sex annis ædificatum fuisse hoc templum Judæi dictitant, ut fortiùs Christi effatum redarguant. qua de re vide Lutheri præfationem germanicam in Danielem, & ejus quidem cap. 9 ac alios, qui in capitis noni Danielis versum 25. commentati sunt.

Judæorũ negligentia.

reprehenditur.

Templum 46. annis ædificatũ.

VI. *Quo fine* igitur docere cœperit Haggæus, facilè patet, videlicet ut ad templum ædificandum segniores excitaret, quod facit duobus potissimũ argumentis: priori, ut ostendat, æquum esse, ut res divinæ anteponantur terrenis, idq; si non fiat, futurum, ut nec hæ prosperè succedant. posteriori, quando declarat, quomodo secundi tẽpli gloria longè major, quàm primi, futura sit, atq; his ab honesto & utili petitis rationibus illam, quæ est à facili, interserit, quod cùm Deus illis adsit facilè possint rem perficere. quæ omnia quomodo nostræ instructioni inserviant, satis benè Lutherus in præfatione in hunc prophetam

6. Quo fine.

phetam germanicâ §. 3. & 4. explicat. Exhibet enim hic liber humanæ corruptionis exemplum evidens, cui nullæ vel admonitiones vel correptiones sufficiunt, siquidem Judæi propter neglectum Dei cultum septuaginta annorum captivitatem perpessi nihilominus mox ad eundem offendunt lapidem.

Usus hujus prophetiæ.

VII. Et de his in proloquia satis: nunc, quæ sit *generalis divisio*, & quæ partes hujus prophetiæ majores, id restat ut hîc videamus. Optimè illa juxta præcipua duo doctrinæ Christianæ capita, prophetarumq; officia instituitur, ita ut partes ejus constituantur duæ, *Legalis redargutio*, cap. 1. usq; ad v. 12. & *Evangelica promissio*, inde usq; ad finem. In illâ est præter Inscriptionem c. 1. v. 1. peccati Judæorum ab opere ædificationis templi cessantium expositio v. 2. inde nata redargutio & evictio v. 3. 4. 5. 6. & correctio cum præscripta v. 7. 8. 9. 10. 11. tum præstita v. 12. In hac est promissio quadruplex opus jam incipientibus & urgentibus facta: primùm de præsentia Dei gratiosa, quæ opus promotura sit, ut facilè perficiatur v. 13. 14. 15. secundò de gloria majore, quâ Deus domum hanc secundam erat ornaturus, dum benedictione eam spirituali donaret in Christo incarnato cap. 2. v. 1. 2. 3. &c. tertiò de benedictione corporali in fruges omnemq; terræ proventum obventura peccatum agnoscentibus v. 10. &c. quartò de regno Christi v. 20. &c.

7. Divisio.

Partes duæ,

1. Legalis redargutio,

2. Evangelica promissio.

CAPUT PRIMUM.

Argumentum.

Summa.

GRaviter reprehendit Judæos, quod tempus tẽpli ædificandi nõdum advenisse dicerent, cùm ipsi interim sibi domos pulchras exædificarent, & propter istam negli-

gentiam sterilitate terræ, aliisq; calamitatibus à Deo afflicti non animadverterent, idq; ut deinceps faciant, templumq; ædificent, monet ut ab illis judiciis cesset Deus. Hisce verò prophetæ monitis, quomodo excitati se accinxerint operi, & promissionem de felici progressu acceperint, subjicit.

Ἀνάλυσις popularis,

Populari ratione caput si dividas, partes constitui possunt quatuor: I. προλεγόμενα continet v. 1. II. est objurgatio, de morâ, quæ in exstructione templi nectebatur longiùs v. 2. &c. III. adhortatio, ut citra ulteriorem dilationem restaurationem templi suscipiant v. 7 &c. IV. Concionis effectus & eventus, & de præsentia, protectione, & auxilio Dei promissio v. 12. &c.

plenior. Partus tres 1. Inscriptio.

Nos singula persequentes aliquantò accuratiùs hoc caput dividemus in partes tres, quarum I. est brevis inscriptio, in quâ tria. (1.) tempus, quando. (2.) autor, cùm primarius, à quo, tum secundarius, per quē. (3.) auditores, ad quos potissimùm hæc directa fuerit concio. v. 1. II. est gravis exhortatio, ubi priùs per πρόληψιν Judæorum futilis objectio: Fortè nondum tempus templi ædificandi adest v. 2. deinde à Deo per prophetam data illius utilis rejectio, cujus propositæ autores & modus v. 3. argumenta verò duo subjiciuntur unum à Judæorum in negligendo cum ædificationis templi opere, rebus suis nimium intentorum v. 4. tum pœnarum divinitus inflictarum consideratione perpetrata injustitia v. 5. alterum à Dei propterea in puniendo administrata justitia in omnium rerum immissa penuria v. 6. & tandem ipsa hinc nata exhortatio, in quâ excitatio ad rem accuratè cognoscendam v. 7 ædificationem templi seriò incipiendam & perficiendam v. 8. sin minus, eandem justitiam divinam in pœnis

2. Exhortatio.

pœnis ijſdam porrò animadvertendam, ubi culpa v. 9. & pœna; tam interræ proventu ibid. quàm in cœli influxu v. 10. imò utrobiq; & in hominibus, & in pecoribus v. 11. Atq; hactenus exhortatio hæc â propheta auditoribus explicata & dicta: ſubjicitur, quomodo eadem ab auditoribus præſtita & facta v. 12. III. pars eſt ſuavis obedientibus data pollicitatio de præſentiâ & auxilio Dei opus ipſum fideliter adjuturi v. 13, cujus effectus v. 14. & tempus indicatur v. 15.

3. Pollicitatio.

PARS PRIMA.

Verſ. 1.] Principio ut res ſit tantò notior, melliusq; cum ipſa hiſtoria poſsit conferri hæc prophetia, tempus ubiq; diligenter Haggæus annotat, tum quo eam cœpit, tum quo eandem continuavit. Illud hoc modo, anno, menſe, die, indicatis circumſcribit: *Anno ſecundo Darij regis menſe ſexto, die q; ejus menſis* (ut hebræus textus habet) אֶחָד *uno*, hoc eſt, primo, quemadmodum aliàs illa Enallage numerorum, cardinalis pro ordinali (ut loquuntur Grammatici) in ſacris literis eſt uſitatiſsima. Exempla vide Gen. 1, 5. & 2, 11. & 8, 13. Exod. 40, 2. 1. Sam. 16, 19. Matth. 28, 1. Marc. 16, 1. confer v. 9. 1. Cor. 16, 2. & notam illam Theophylacti in Lucam obſerva, παρ' Ἑβραίοις τὸ μίαν σημαίνει τὸ πρώτην, qui dies, ut hîc Chronologi periti obſervant; fuit feria prima hebdomadæ, dies quartus Auguſti, ſi ad noſtros menſes reducas, idq; nec ſine peculiari omine, quod ſcilicet hoc futurum erat illud templum, in quo à Chriſtianis poſt reſurrectionem Chriſti primùm, ut & poſtea in aliis, eo per Veſpaſianum diruto dies primus ſeptimanæ ſeu Dominicus in N. T. hebdomadatim loco ſabbathi ſeu ſeptimi diei, qui colc-

Temporis annotatio.

Unus i. e. primus.

Dies Dominicus.

colebatur in V. T. Deo consecretur: nec sine insigni ad totam prophetiam intelligendam lumine. Cum n. jampridem Judæi isto tempore (messis siquidem illorum erat mense nostro Majo ultimo Levit. 23, 10. Deut. 16, 9.) fruges illius anni convexerant in horrea, & quidem satis parcè, oportunè propheta causam sterilitatis præsentis exponit, & indesumpta occasione eos reprehendit, quod ædificationem templi negligerent. Quemadmodum verò alij prophetæ pleriq; mentione regum Israëlis & Judæ suum tempus solent describere, sic noster Hæggæus & Zacharias mentione regis Persarum id indicant, quia ab illis regnum jampridem erat ablatum, & cùm ad suas erant remissi sedes patrias, regum Persarum agnoscere cogebantur imperium, & duces saltem habebant postea, denicq; tantum Pontifices. Vide secundam editionem Exercitationum biblicarum p. 159, 160. Cum autem plures reges Persarum fuerint dicti Darij, quis hoc loco intelligatur, valdè controversum est inter Interpretes. Calvinus & Gualtherus, secuti Josephum & Eusebium, ut hic ait, quicum consentit Wigandus etiam, tertium Persarum regem à Cyro intelligunt, illum scilicet Darium Histaspis filium, qui equisonis, qui apud Herodotum lib. 3. & Justinum in fini lib. 7. vocatur Oebares, operâ pervenit ad regnum, & postea Cyri filiam duxit, Lutherus præfat. germ. in Danielem, & alij nonnulli, ut in Chronico Carionis lib. 2. videre est, Artaxerxen Longimanum denotari existimant. Alij alias habent conjecturas, quas sine præjudicio suis autoribus relinquimus, & freti autoritate potissimũ sacrarum literarum Esd. c. 4. v. 5. 6. 7. 24. illis astipulamur, qui Darium Nothum, id quod temporum ratio etiam omnino flagitat, hîc designari sat firmis probant rationi-

Messis Judæorum.

Cur regis Persarum fiat mentio.

Quis Darius hîc intelligendus.

1. Sententia.

2.

3.

4. Vera.

rationibus. Vide Esdr. c. 6. v. 14. & 22. Sethum Calvisium in Isagoge Chronologicâ cap. 40. pag. 174. 175. 176. & systema Chronologicum Meuschij lib. 1. cap. 15. & lib. 2. c. 4. Imponit autem plerisq́, quod post hunc Darium memoretur Artaxerxes Esd. c. 6, 14. & 7, 1. &c. quem ipsi putant esse Longimanum, qui successit Xerxi, & præcessit hunc Darium Nothum, ignorantes, quod ille cognomine dictus sit Mnemon seu Memor, & Darij Nothi fuerit filius. *Unde error b. l.*

Hujus igitur Darij Nothi anno secundo *fuit verbum Jehovæ per manum Haggæi prophetæ ad Zerubabelem, filium Schealtielis, ducem Jehudæ, & ad Jehosuam filium Jehotzadaki* (qui quando Judæi in captivitatem abducebantur, fuit summus pontifex) *sacerdotem maximum*, ad duos summos in statu politico & Ecclesiastico antistites, tum temporis satis celebres Zach. 3, 1. & 4, 6. Sirac. 49, 13. 14. Ubi notandus est ille hebraismus, quo *manus* dicitur omnis locutio, quâ aliquid præcipitur efficaciter, quia ut manus rem, quam tangit, ita locutio præcipiens personam, quam spectat, movet. Exod. 9, 35. Num. 4, 37. 45. & 33, 1. 2. Samuel. 14, 19. 1. Reg. 18, 46. 1. Chron. 6, 31. 2. Chron. 29, 27. Esdr. 3, 10. Hos. 12, 11. Zach. 7, 7. 12. & hinc occurrit Actor. 11, 30. διὰ χειρὸς, planè ut hoc loco בְּיַד. Et benè hæc locutio ad prophetas ac verbi divini ministros accommodatur: sunt enim velut manus Dei, per quas ipse sua bona dispensat & communicat cum hominibus, & proinde hos de illis honorificè, illos autem de se humiliter sentire decet, sicut 1. Cor. 3, & 4. capitibus declaratur prolixiùs. Modus verò, quo hæc prophetia revelata est Haggæo, notatur his verbis, fuit verbum Jehovæ *dicendo*, quod tamen θέως accipiendum est. *Manus i. e. locutio movens,* *per ministros verbi*

CAPUT PRIMUM.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 1.

I. Anno secundo Darij regis] Tam bonus est Deus, ut possit etiam de malo benefacere, quippe qui in captivitate Judæorum multos ex Ethnicis convertit, etiam reges & monarchas, velut Nebucadnezarem Dan. 3, 28. 29. & v. 37. Darium Medium c. 6, 17. 21. 27. 28. Cyrum, Darii Nothum, Artaxerxen Mnemonem Esdr. 6, 1. 3. 14. & 7, 12. 14. 18. 23. ut antea per captivam puellam Naaman ad Elisæum & fidem adductus erat 2. Reg. 5, 2. 3. 15. & quando apostoli omnes Jerosolymis ejecti ac dispersi Evangelium latè propagabant, tum inprimis Philippus Samaritanos antea Christum ipsum non admittentes Luc. 9. convertebat, Actor. 8, 4. 5. &c.

In captivitate conversi.

II. Quandò Darij, Cyri item, & Artaxerxis Mnemonis honorifica, contrà vero Xerxis & Artaxerxis Longimani minus honorifica in hac sacra hostoria (& aliàs etiã apud profanos autores) fit mentio in æternum, eò quod illi Ecclesiam juverint, hi oppresserint, discimus quomodo (quod omnes in eminentia constituti spectant unicè) viri magni & Reip. seu regni proceres æternam nominis cum benedictione memoriam possint consequi, videlicet si Ecclesiam, piasq; scholas erigant, docentes & discentes in illis foveant Luc. 7, 5. eisq; privilegia ac immunitates à vectigalibus concedant Esdr. 7. 24. ut ejus sint nutritij Esa. 49, 23. & Ecclesia mammas regum sugat Esa 60, 16. Exempla sunt plurima in historiis piorum & impiorum regum Israelis & Judæ &c. Ad summam, plus promovent gloriam magnatum, qui iis ad benignitatem atq; omnes virtutes sunt duces, quàm qui per

Æternam memoriã bonam quomodo magni sibi comparẽt.

per malas artes Machiavelli aliorumq́, docent eos inclarescere vel crescere. Scilicet

tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant,

vel saltem pejus audiant jam vitâ carentes, ipsiq́ eodem cum Pharaone, Herode, Pilato, habeantur loco.

Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis. Jam vide, quis fructus sit, si quis princeps magistrum ad suam gubernationem cepit improbum: is enim animum aliàs non malum ad deteriorem partem applicat, & ex hujus incommodo maximo quærit commodum. Sed hæc alterius loci & ocij. Utinam autem attendantur!

III. *Fuit verbum Jehovæ, per manum Haggæi.*] Ministri verbi sunt Dei ad nos loquentis in verbo os, ejusq́ in bonis spiritualibus nobiscum communicandis manus, & proinde, quamdiu officio suo funguntur sedulò, duplici honore digni sunt 1. Tim. 5, 17. & at viri Dei respiciendi, quemadmodum propriè & peculiariter dicuntur voluntatis Dei interpretes, sub quorum numero meritò omnes, qui sacras profitentur literas, etiam in scholis regiis (licet his sæpe in quibusdam aulis nil habeatur vilius) comprehendimus Deut. 33, 1. Psal. 90, 1. 1. Reg. 12, 22. & 13, 1. 5. & 20, 28. 2. Reg. 1, 9. & 4, 7. 9. & 5, 8. & 6, 9. 1. Tim. 6, 11. 2. Timoth. 3, 17. 2. Pet. 1, 21. quos qui injuriosè tangit, tangit pupillam oculi Dei Zach. 2, 8. quod Deus severè prohibuit Psal. 105, 15. ne attingitote (inquiens) unctos meos & prophetas meos ne afficitote malo. meos autem vocat Deus, qui sunt boni & in officio suo seduli.

Ministri verbi Dei os & manus.

Viri Dei

IV. *Ad Zerubabelem & Jehoschuam duces.*] Ad illos maximè Deus loquitur, qui alios ex captivitate educunt. Exẽpla & typi sunt Moses & Aaron Exod. 3, 4. 5. &c. & dux

Deus loquitur liberatoribus.

ac summus sacerdos hoc loco. Ut enim illi ex captivitate corporali, sic ministri verbi ex mandato Dei homines educunt ex captivitate Diaboli spirituali 2. Timot. 2, 25. 26. secuti ipsum Christum Esa. 61, 1. Luc. 4, 18. Vide Paulum Act. 26, 14. 18. septuaginta discipulos Christi Luc. 10, 1. 18. 19. Desine igitur mirari, qui fiat hodie, quod Deus multis magnatibus non loquatur, nec salutaria eis inspiret consilia, verùm recedat ab ipsis, ut olim à Saule impio rege 1. Sam. 28. nimirum hoc non agunt, quomodo subditos in pietate erudiendos curent &c. Sed quis audet hic dicere, papa cur facis sic? Consilium igitur si quæris (& quis illud non faciat in hoc rerum statu?) quære apud Dominum, qui dicit, Prov. 8, 14. Meum est consilium, mea est prudentia, meum robur.

Amalis recedit.

Consiliarius optimus.

V. Primores in statu Ecclesiastico ac politico consentientes mirè pietatem promovent, quia, ubi tales fratres concordant, Deus benedictionem promittit Ps. 133, 1. 2. 3. quorum illi sint Zerubbabeles, i. e. magistri Babylonis, qui indomitam plebem ac subditos mundo nimis deditos piis mandatis contineant in officio: hi Jehoschuæ i. e. tales, qui voluntatem Domini annunciando salutem hominum æternam procurent sedulò. Considera felix sub Mose & Aarone fratribus ac consentientibus regimen: sub Samuele & Saule, illo præmonstrante, hoc sequente in regni initio, quemadmodum etiam videre est in Jojada docente, & rege Joas discente 2. Reg. 12, 2. Idem & sine dubio Deus indicare voluit, quando ex ordine senatorio Josephum, ex ordine Ecclesiæ Doctorum Nicodemum excitavit, & hos duos vocavit, qui Christi corpus simul ungerent & funus curarent Joh. 19, 38. 39. quibus ex primitiva Ecclesia multa possunt addi exem-

Status Ecclesiastici & politici concordia.

זְרֻבָּבֶל

יְהוֹשֻׁעַ

exempla piorum Imperatorum & fidelium Ecclesiæ doctorum. saltem historiam Constantini M. Theodosij itē & Ambrosij &c. inspice. Nunc verò Christi corpus mysticum ab iisdem ordinibus erat unicè fovendum, hoc est, Ecclesia erat benè habenda. Contrà autem hodie proh dolor, cùm nec in statu politico quidam magnates audiunt, nec quidam antistites sæpe in statu Ecclesiastico fideliter & liberè eos magnos errantes erudiunt, hinc illæ in toto Romano Imperio lachrymæ. Et ut tantùm dicatur de nostris, quum ad nos non ita multum spectet, eos, qui sunt extra, judicare, 1. Cor. 5, 12. Lutherani nonnunquam audire & ij volunt, qui ne micam quidem zeli Lutheri habent. Is Deo fretus, solus toti se opposuit mundo: hodie autem rari admodum sunt, qui suæ aulæ, urbi, oppido, pago, in peccatis pergenti audent resistere, non absimiles illis multi, de quibus Ezech. 13, 5. Matt. 23, 6. 7. Et verum est illud, Da Ambrosios, & habebimus Theodosios, si Deus velit benedicere plantanti Paulo, riganti Apollo, quod decet nos sperare & promittenti credere 1. Corinth. 15, 58.

Lutherani veri.

VI. In publicis vitiis principes populi & antistites sacrorum præ aliis accusari merito debent, quia illorum tacentium & conniventium culpâ plerumq; populus ita indulget flagitiis, eò quod debitâ cum severitate à suis primoribus non coërcetur. Sic Aaron dicitur nudasse gratiâ Dei, & legum vinculis solvisse populum, quum nō constanter resistebat ejus ad idololatriam pronæ libidini Exod. 32, 4. 5, 25. imò ipse ibidem v. 21. dicitur induxisse super populum peccatum, qui tantùm consenserat, odio plebis impotentis victus. & ex edicto Dei principes scortantis populi suspenduntur Num. 25, 1. 4.

Magnates arguendi.

Caput Primum.

Pars Secunda.

Vers. 2.] Verbum Jehovæ ad Haggæum hoc fuit *sic edixit Jehova* Dominus *exercituum*; quale Exordium illũ quam maximè decebat, qui gravissimè integrum populum reprehensurus erat. Orditur autem propheta à confutatione ejus argumenti, quo se Judæi tardiores in ædificationis opere maximè excusare & tueri solebant ac volebant. Cum enim multa erant, quæ illos ab ædificatione templi sumptuosissimi absterrere poterant, labor, sumptus, pericula, &c. tamen quia etiam coram mundo turpe fuerat, illa omnia nolle subire pro ejus gloria, qui ipsos ex durissimâ captivitate gratiosè & potenter liberaverat, in tempus, Deiq; providentiam culpam malitiosè conferebant versuti, à quibus simplices tanto prætextu seducebantur. Hanc igitur segnitiem pravam reprehensurus Haggæus, calvas istas excusationes, vanosq; desidiæ prætextus it sublatum dum eos hoc loco per mimesin recensèt, Deiq; omnipotentis potius & veracis vocem quàm suam profert, quippe qui sit καρδιογνώστης, optimèq; cogitationes hominum cognitas & perspectas habeat. Ipsa n. hæc populi excusatio partim ex diffidentiâ, partim ex rerum privatarum studio proficiscens in speciem planè aliud ostendit & obtendit, quàm quod ex re & veritate erat. Nam (ut benè in hunc locum commentatur Junius.) quod nondum adveniisse tempus ajunt, videbatur maximum ad excusationem afferre momentũ, quasi dicerent, videmus jam sæpius repetitis interdictis ex autoritate regum antecedentium fuisse cautum, ne institutum hoc opꝰ perficeretur: de novo autem hoc rege nihil quicquam hactenus audivimus, quo sententiam mutatã esse

Argumentum Judæorum somnolentorum.

refutatur

Notæ Junij.

esse & jus ædificandi restitutum nobis confirmetur. quocirca metuimus, ne hæc nobis vertantur vitio, & rerum novarum inculemur &c. Hæc & alia plura summatim in illis populi verbis comprehenduntur, *populus hic dicunt*, vel cùm palam proferre non audent, ne videantur plane impij, saltem in corde ita cogitant (quomodo sæpe verbum dicere pro cogitare sumitur Gen 6, 3, 7. Psal. 27, 8. præcipuè quando additur, in corde, quæ phrasis tam in bonam, quam malam partem accipitur, vide Sophon. 2. v. ult.) & quia Deus cogitationes istorum hominum novit, mihi prophetæ suo revelavit, quod ita tacita cogitatione sibi abblandiantur, palliantes suam socordiam, *non adveniisse tempus, quo domus Jehovæ ædificetur*: id enim si advenisset, nemo ædificationem impediviisset. Ita populus malè rationes secum deputabat, vel potius, quid suæ prætexeret socordiæ, quærebat.

Dicere i. e. cogitare.

Vers. 3.] Audiamus verò, quid de hac speciosâ excusatione statuat Dominus, quando jam porrò ejus nomine propheta totum alloquitur populum, qui hactenus duos duces tantùm allocutus fuerat. *Fuit itaq; verbũ Jehovæ per manum Haggæi prophetæ dicendo*: Dicitis scilicet, nondum esse tempo ædificandi templi? impiè inquam, templi ædificationẽ in tẽpus nescio quod fatale diutiùs rejicitis, qui vestras ipsorum domos statim exædificastis. Nam si singuli domos proprias potuistis erigere, quidni omnes possetis unum templũ exstruere? iniquissimũ certè est, homines splendidas inhabitare ædes, Dei autẽ templum, quod ad omnes æquè spectat, desolatum & incultum manere: quæ est ista improba desidia & nequitia, vos perfruimini delitiis, & Dei ædem perficere negligitis? O summam ingratitudinem! hoc enim sequens interrogatio rhetorica innuit. Confer Mich. 6, 6, 7, 8.

Malè in tempus culpa rejicitur.

Vers.

Vers. 4.] *An tempus est vobis, ô vos* ingrati, ociosè *desidendi in domibus vestris, iisq́* ad luxum pulchris, scitè *contabulatis*, lacunaricq́ eleganter & effabrè factis & exornatis. & ut græci id non malè exprimunt, κοιλοσφύμοις, Lutherus vertit סְפוּנִים geteffelten. Id autem est accipien, m non de ornamentis interioribus parietum, quæ dicimus Panneling/ sed tabulato, quod simul tectum interius, quia ædes erant planæ, & non in morem nostrum fastigiatæ. Sic סְפִינָה vocatur navis, quæ superiùs est tecta, Dar ein vberlauff ist. Estne verò locus rebus vestris perfruendi? *quum* tamen adhuc *domus mea sacra vasta sit*, contrà quam virum pium decet, ut suo exemplo olim David præire voluit Psal. 132,3.4.5. 2 Sam. 7, 2. Cogitate quæso quàm iniquum sit, vos in palatiis, non tam ad usum, quàm ad delicias cõpositis molliter vivere, quum habitaculum meũ, qui sum Deus, unde vos habetis omnia, pluviis irrigetur, sole torreatur, solitudineq́ squaleat?

סְפוּנִים

Vers. 5.] Quapropter cùm tales sitis
Introrsum turpes, speciosi pelle decorâ,
& malitis videri boni quàm esse, quum isto utimini prætextu vanissimo, *nunc sit ait Jehova*, dominus *exercituum*: *Adhibete animum ad vias vestras*, in vos ipsos, vestrasq́ actiones inquirite, successusq́ considerate diligentissimè, id quod phrasis hebræa emphatica, ponite cor vestrum, innuit. quæ ut meliùs intelligatur, conferri possunt hæc loca. Exod. 9,21. Deut. 32,46. 2. Sam. 18,3. Job 1,8. & 2,3. & 22,22. & 34,14. Ezech. 20, 4. & 44,5. infrà in hoc capite v. 7. & c. 2,15.18. & nostra phrasis germanica, sich auff ein ding legen/ perpendatur. Videte, quàm benè res vestræ vobis sub manus succedant, germanicè, wie es euch gehe/ videbitis, es gehe doch alles hinter sich vnd den Krebsgang.

Ponere animum.

Vers.

Vers. 6.] Nam quæso, quæ est ista, quæ vos premit, omnium rerum difficultas? fortuitone eam putatis accidere? num ex fato quodam? an vero vos ideo à Deo ex captivitate mirabiliter reductos existimatis, ut hic rerũ omnium penuria pereatis? non ita, vis alia vos urget, nempe legis meæ neglectæ maledictio Deut. 28,15. Amos 4,9. Mich. 6,14.15. hinc adeo inopes estis in victu & amictu, *hinc seritis multum, & infertis parum*, grandem frumenti acervum in agrum exportatis, & parvum ex eo in horrea reportatis manipulum, & cum etiam eo, quod collegistis, frui cupitis, desiderium vestrũ implere haud potestis, *comeditis, sed minimè ad saturitatem, bibitis, sed non ad ebrietatem*, hoc est, affatim, quod sufficiat (quemadmodum aliàs scriptura ebrietatis nomine copiam denotat Gen. 43,34. Cant. 5,1. Joh. 2,10.) nec famem edendo, nec sitim bibendo restinguitis, quia semper, ne citò deficiat frumentum & vinum vestrum, timere necesse habetis, cum Deus baculum panis fregerit, hõc est, naturalem nutriendi vim terræ proventui ademerit, ex lege Levit. 26,26. quam executus est sæpe Psal. 105,16. Ezech. 4,16. & 5,16. & 14,13. Esa. 3,1. Ut enim scipione se sustentat infirmus, sic homo sustentatur pane. cùm autem frangitur scipio, cadit, qui ei fuit innixus: ita si frangitur divinitus scipio panis, nihil prodest cibus, sed cadit & perit homo. Neq; tantum ita se res habet in victu, verum etiam in amictu, *induimini etiam, sed nemo ita, ut si calor ipsi*, ut possit se contra frigus defendere, quia parum lanæ habetis ob paucitatem ovium, quippe quibus non fuit sufficiens pabulum. Et si quis est inter vos operæ nõ parcens, qui ex negotiatione lucrum, aut ex labore precium velit congerere, spe omnium laborum & studiorum suorum

Ebrietas i. e copia.

Scipio panis.

fruſtratur, ſiquidem *qui mercedem reportat ſibi, mercedem reportat ſibi in loculam pertuſum,* non conſervat eam velius, quàm ſi nummos pertuſo inderet loculo, ita dicto citius omnes opes partæ dilabuntur. Lutherus, Welcher geld verdienet der legts in einen löcherten Beutel.

Loculus pertuſus.

Verſ. 7.] Quoniam verò plerique hæc mala caſu quodam accidere putabãt, eandem ſuam exhortationem, quam ſuprà v. 5. adhibuit, repetit, &, ut Dei, ſuasque vias diligentiùs Judæi ſatis diu afflicti tandem conſiderent, monet ex Dei ipſius mandato: *ſic ait Jehova,* dominus ille *exercituũ,* omnium creaturarum autor & conſervator, quæ ipſi more exercitus fidelis adſunt, ejusque juſſa prompte expediũt, *adhibite animum* (hebraicè, ponite cor ſup. v. 5. non obiter aſpicite ſaltem, ſed diu multumque in hac cogitatione verſamini) *ad vias veſtras,* regredimini in memoriam temporum priorum, quid feceritis vos Deo, & quid ipſe vobis rependerit, & cum videatis vos erraſſe, mutate conſiliũ, pravo abſiſtite, & in melius mentem convertite. Hactenus opus ædificationis templi neglexiſtis, jam deinceps illud ſedulò urgete ſic futurum eſt, ut Deus, qui hactenus vobis maledixit v. 6. deinceps clementer benedicat, tum operi ipſi ædificationis tum vobis ædificantibus.

Verſ. 8.] Agite

mox alacres properate viri, mora ſegnis abeſto, qui hactenus ocioſi deſediſtis in domibus veſtris v. 4. prodite, & ne dicatis, unde ſuppetet tam copioſa materia ad opus tam auguſtum neceſſaria, *aſcendite in montem iſtũ* Libanum, ex quo olim ligna ad templum Salomonis allata 1. Reg. 5, 6. 9. inde vos quoque hoc tempore *afferentes ligna, ædificate domum hanc, ut acceptum habeam illud* veſtrum opus

Mons libanus hic intelligitur.

& poſtea

& postea templum ædificatum, inq; eo vestras preces libenter exaudiam, omniaq; tristitia in latiora commutẽ, quibus verbis sine dubio Haggæus respicit ad primam à Salomone in prioris templi dedicatione usurpatam benedictionis formulam 1. Reg. 8, 28. 29. &c. atq; ita demum apud vos *glorificem me, ait Jehova*, ibi me magnum ostendam magnis beneficiis vos afficiendo, largis benedictionibus vos perfundendo, & proinde, cum sitis meus populus, oportet vos & de mea propaganda gloria esse sollicitos, & de vestra felicitate procuranda, quæ hoc modo tantùm obtinget, si cogitetis, ut quas negligentes experti estis maledictiones, convertantur vobis in cultu divino sedulis in benedictiones. Hic sensus hujus versus optimè cum antecedentibus & sequentibus congruit, ejusq; prius membrum longè meliùs cum multis aliis, Chaldæo interprete, Wigando, Ribera, Gualthero &c. de Libano, quam cum Junio de Sione explicamus, tum quia in hoc monte jam erant Judæi, & proinde non opus erat eò ascendere, tum quia inde ligna deportare nulla poterant. De ה paragogico verbi hebræi אֶבְנֶה deficiente in textu, & suppleto in margine, non admodum laboramus, quid notet, nempe quinq; in templo hoc posteriori deficere juxta Thalmudicos. Vide Buxtorf. thesaur. Grammat. lib. 1. c. 13. sub finem pag. 117. J. Drusium lib. 15. observat. c. 16. quibus se tamen valde acriter hoc loco in Commentario opponit Ribera, à numero 11. usq; ad 20.

non Sion.

ה *paragogicum cur non scribatur.*

Vers. 9.] Dum a. isti de re non magni momenti, aut ad fidei nostræ articulos nil quicquam spectante, operosè & inutiliter litigant, nos sequentia prophetæ verba majori cũ fructu rimabimur, in quibus, ut stertentes excitet, iterum inculcat eadem, quæ antea dixit, ut rei ipsi9 intuitu

tandem expergefiant. Hæ enim ô Judæi, veſtræ fuerunt viæ, & hæc veſtra proſperitas, *ſpectando ad multum, & ecce* (ad horrea ipſa, in quæ tempore hujus concionis habitæ jam ejus anni convectum erat frumentum, & quidem ſatis tenuiter, ut ſupra v. 1. oſtendimus, digitum intendit, atq; in rem præſentem deducit, ut veternum ſecuritatis excutiat) ecce *ad parum*, ut videtis, in horreis veſtris pervenitis, quando magna cupiditate ſperatis uberrimum anni proventum, fuit ille hactenus tenuiſsimus, & quicquid tandem magno labore *domum intuliſtis* quisq; ſuam, *efflo illud*, diſperdo derepente, tanquam ventis impellentibus Pſal. 1, 3. Eſa 40, 7. Lutherus ſo zerſtreube ichs doch/ quæ duo membra Hieronymus ita ſatis bene συμφέρεται. Cum jam candeſcerent ſegetes, & meſsium tempus inſtaret, frumenta vos tenere in manibus putaretis, meſſuiſtis vacuos culmos, & inanes ſtipulas. Sed & hoc ipſum, quod de multa ſegete & infinitis acervis fuerat electum, intuliſtis in domum, mea (Dei) virtute diſperſum eſt, exſufflavi illud & redegi ad nihilum, quia frumentum emortuum & vacui folliculi, quæ utilia eſui ſunt, farinam & ſimilam non habebant. *Quamobrem* verò? *dictum Jehovæ* Domini *exercituum*, non vulgaris cauſa ſit oportet, dicit Dominus, quæ me vobis, quos tam clementer ex captivitate eduxi, tam ſubitò infenſum reddidit. Audite, hæc eſt illa ipſa, *propterea quod domus mea* ſacra *eſt vaſta* ac nondum exædificata, *& vos curritis quisq; tantùm pro domo ſua* ornanda, augenda, ſtabilienda magnaq; diligentia curatis, ut illam operoſè exædificetis. Confer v. 4. ſuprà explicatum.

Deus efflat improborum bona.

Incuria.

Verſ. 10.] Hæc eſt illa culpa à vobis admiſſa, en pœna propterea à me immiſſa, hæc eſt illa veſtra in ſacris incuria,

ria, mihiq; illata injuria, ecce vicissim à me inflicta penuria. *Idcirco* ego posui faciem meam *contra vos, & propterea cohibentur cœli* à rore pluviaq; oportuna, & consequenter *cohibetur* terra *à frumento suo* ex maledictione Deut. 28, 23. 24. 38. Amos 4, 7. *Penuria.*

Vers. 11.] *Quia ego* Jehova *advoco siccitatem super hanc terram* vestram, *& super hos montes*, quos colitis & incolitis, *& super frumentum, & super mustum, & super oleum vestrum*, imò (ut verborum faciam compendium) *super id omne, quod prolatura esset hæc terra vestra*, in arboribus herbis *& super homines etiam & super jumenta*, quæ ita siti enecantur *deniq; super omnem laborem manuum*, confer v. 6. Amos 4, 7. 8.

Vers. 12.] Hac concione satis durâ & perspicua cùm ducibus tum ipsi populo propositâ, pergit propheta describere, quis hujus tam severæ exhortationis fructq; fuerit, quamq; obedientes ac morigeri Dei verbo fuerint illi, qui admonebantur. *Auscultavit* enim timore Dei adductus in animum induxit ædificare templum *Zerubabel filius Schealtielis, dux Jehudæ, & Jehosua filius Jehotzadaki sacerdos maximus* populi duces summi, *& totæ populi reliquiæ auscultarunt voci Jehovæ Dei sui, hoc est, verbis Haggæi prophetæ*, jussu & nomine Dei prolatis, obediverunt omnes, quotquot vel ex bello erant superstites, in quo multi perierant, vel qui ex captivitate redierant, in quâ etiam multi fecerant, sibi quod faciundum fuit seu mortui erant, multi etiã remanserant, ut meritò dicãtur reliquiæ. Propterea a. tam morigeros se præbebãt, quod scirent *quod misisset* prophetam *illum Jehova Deus ipsorum*, id quod vel inde colligebãt, quando concionẽ superiorem prophetæ cum fortuna ac moribus suis conferebant, & *Reliquiæ populi.*

proinde suorum malorum causam fuisse ipsi videbant, *cum timuerunt ille populus à facie Jehovæ* gratiosè in prophetа præsentis, gratiamq; per eum offerentis pœnitentibus, & iram, si ita Judæi pergant, comminantis, id quod vox hebræa מִפְּנֵי indicat. vide titulum Psalmi tertij alibi explicatum.

מִפְּנֵי

LOCI COMMUNES.

Ex versu 2.]

I. Sic dicunt.] Quia verisimile est, hosce Haggæi auditores non dixisse vel protulisse hæc, quæ sequuntur, sed saltem cogitasse, eaq; Deo nota esse audimus, admonemur, Deum nosse cogitationes hominum, easq; revelare, si non in hoc, certè in altero seculo Ezech. 11, 5. 2. Cor. 4, 5. Eccles. 12, 13. 15. Cave igitur in animo tuo id tecum reputare, quod nolis Deum in conspectu omnium hominum aliquando manifestare, 2. Cor. 5, 9. 10. 11. Luc. 8, 17. Atq; hæc est vera politica Christiana, cum quâ nullo modo facit hodie usitata multis.

Deus novit cogitationes.

II. *Populus hic.*] Non duces, sed populus tam perversum habent judicium, non cœli, sed terræ filij ita secum ratiocinantur, quia hi cum Lothi conjuge semper ad Sodomam hujus mundi respiciunt, & ad montem Dei non contendunt, quò ipsos angeli Dei seu ministri verbi boni ducunt Gen. 19, 26. Luc. 17, 32. 33. de quo hominum genere digna sunt scitu, quæ habentur Sap. 2, 1. &c. & tamen hoc populi peccatum proponitur ducibus, quia ipsi quod non meliùs sentiant subditi, plerumq; sunt in culpâ, vel malis exemplis præeundo, vel saltem ad mala connivendo, ut suprà v. 1. L. C. 6. dictum est.

Terræ filij.

III. *Non*

III. *Non adveniſſe tempus, quo domus Jehovæ ædificetur.*] Impij dum pœnitentiam de die in diem procraſtinant, ſunt illi ipſi hodie, qui dicunt, nondum adveniſſe tempus, quo domus & templũ Jehovæ ædificetur, 1. Cor. 3, 17. & 6, 19. 2. Cor. 6, 16. quod perfidem inhabitet Eph. 3, 17. jam adhuc eſt palatium à Diabolo vaſtatum Luc. 11, 21. 24. 26. Matth. 7, 26. 27. idq; tamdiu nondum reſtauratur aut ædificatur, quamdiu ipſi indulgent vitiis, quorũ ſordibus illud pedetentim corrumpitur 1. Cor. 3, 17. Pij verò hodie cùm vocem Dei audiunt, accurrunt, nec ſomnum dant oculis, priusquam Domino ædificaverint in ſeipſis domum. Pſ. 95, & 132. quod utrumq; latè poteſt deduci, quomodo illi per vitia nudi & inſtabiles, hi per fidem juſtitia Chriſti induantur ac contra omnia mala reddantur firmi ac munitiſsimi, qui velut fructus & ornatum habent deinceps bona opera, & virtutem virtute contegunt, ne perpluat. Quod verò uniuſcujusq; hominis corpus ſit velut terreſtris quædam domus, 2. Cor. 5, 1. & tabernaculum ibid. v. 4. 2. Pet. 1, 14. declaratur.

Corpꝰ hominis pij templum Dei.

Ex verſu 3.]

Fuit itaq; verbum Jehovæ] Deus juſtus peccata per veros & fideles ſuos legatos redarguit, & ad illa tacere non poteſt 2. Cor. 5, 20. Eſa. 56, 1. unde facilè liquet, quid de nonnullis (nam boni etiam per Dei gratiam ſunt quidam & vigilantes) mutis canibus ſentiendum ſit Eſ. 52, 3. 4. qui ſeipſos tantùm paſcunt, & non gregem. Ezech. 34, 2. 8. 10. &c. qui conſuunt pulvillos, pro omnib9 axillis brachiorũ Ezech. 13, 18. pro pugillis hordei & fruſtulis panis morte AFFICIENDO ANIMAS, quæ non morerentur, & vi-

Muti canes deſcribuntur.

& victuras prædicando animas, quæ non sunt victuræ ibid. v. 19.

Tales pastores, animalia pessima mores
En commendatos vitiorum labe notatos,
Sed dicunt mum mum, quia gaudent cudere mummum,
Subdunt pulvillos, quia nolunt ringier illos,
Ac tractant cautè, quo possint vivere lautè.
Sacrorum ignaris non interdicitur aris,
Hinc nulla est pietas, sed plena hæc criminis ætas.
Non mens curatur, nimium dum corpus amatur.
Tu quorsum vadis? rarò pastor male tradis,
Cum populo ipse cadis, spernens incommoda cladis.
Te nisi convertis, sed sic quoq; postea stertis,
Perpetuum mœres, truculenti Demonis hæres,
Dans pœnam diram justi per numinis iram.
Hanc ut devites, non sint voces tibi mites.
Erga auditores, præsertim quotquot honores
Ornant, aut plenà quib9 est mẽs prava crumena.

Ex versu 4.]

Pars optima est eligenda.

I. *An tempus est vobis, ô vos, desidendi?*] Plerique homines magis rerum suarum, quàm divinarum gerũt curam seipsos inaniter circa multa tumultuando fatigãtes Luc. 10, 41. Psal. 39, 7. illi autem, qui partem optimam, quâ SOLA OPUS est, eligunt cum Maria, sapiunt Luc. 10, 42. quia juxta regulã Domini vivunt Matt. 6, 33. quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, tum reliqua omnia adjicientur vobis. Hæc inculcanda sunt ex hoc prophetа iis ani-

verbi ministra,

is animarum pastoribus (nam ad eos, qui faciunt officiū & ex se norunt præstare, quæ decet, hæc nil quicquam spectant) quibus potiùs cura est de suâ domo, quâm quomodo proficiat & succrescat in pietate homo: hæc exaggerenda sunt illis malis magnatibus (nam David, Josias & horum similes talibus monitis non indigent) qui in ædificia ac palatia sua conferunt, &, quod pejus est, in

magnatibus.

equos, canes ad venandum, imò, quod omnium pessimum & Christianis prorsus indignum, in scorta,

Ambubajarum collegia, pharmacopolas,

Athletas, scurras, balathrones &c.

omne quod miseris deglubunt subditis, malè collocant ac pessimè consumunt

Tantum Josephi curantes vulnera, quantum

Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas

Tandem crebrò occinenda sunt hæc illis, in statu Oeconomico, qui nil aliud curant aut spectant quàm suos nummulos, congerentesq; per malas artes auri pondera

patribus familias.

conscientiæ suæ gravissima infligunt vulnera. quales solent esse nonnulli inter Mercatores, institores, artifices, & horum similes.

II. *In domibus vestris tabulatis.*] Luxus in ædificiis, ultrà quam satis est, exornandis hîc iterum reprehenditur, quia sæpe in hac re peccatur, dum quod erat ex abundantiâ conferendum in pauperes & Christi membra, impenditur in parietes & magna palatia, quâ de re quid secundum sacras literas (nam de humano jure quid agat Theologus, aut inculcet, quum alij multi sint ejus sacerdotes vigilantissimi?) sit statuendum, vide Sophon. 2, 14 & quæ ibidem ex sacro codice citata, expende.

Luxus ædificiorum.

Ex versu 5.]

Adhibite animum vestrum ad vias vestras] Quando malis affligimur, in nos nostrasq; actiones omnium primò inquiramus Thren. 3, 40. Sophon. 2, 1. & ad Deum affligentem convertamur; quod si non fit, nihil efficimus clamoribus vagis Job. 35, 8. 12. Psalm. 18, 42. Prov. 1, 28. Esa. 1, 15. quia Deus peccatores impœnitentes non exaudit Johan. 9, 31. Prov 28, 9. Esa. 59, 2. Sed si qui conversi fuerint ad Jehovam usq; exorabitur eis, & sanabit eos Esa. 19, 22. Job. 11, 13. 14. 15. 1. Joh. 3, 24. contrà verò videas permultos, qui mala sua lamentantur, & causas quærunt, nec unquam inveniunt, quia non adhibent animum ad vias suas. Egent? sterilem esse annum causantur. repulsam patiuntur in honoribus? abalienatos â se ajunt aliorum, in quorum manu est negocium, esse animos moritur aliquis ex amicis aut cognatis? insciitiam vel imperitiam medicorum incusant. & sic de ceteris Melius verò in vitæ anteactæ turpitudinem respicerent, & quod meruerint, fatererentur cum fratribus Josephi Gen. 42, 21. 22. & cum latrone in cruce Luc. 23, 41. Vide etiam Jer. 3, 25. & 14, 20. Dan. 9, 5. 6. 11. Mich. 7, 9. Notandum autem, quod dicat propheta in textu hebræo emphaticè, *ponite cor*, siquidem cor hominis hinc inde vagatur incertum, & non priùs quiescit, quàm ad solum Deum tanquam finem ultimũ pervenerit. vide quæ in illam sententiam dicta sunt Mich. 5, 5. Quando igitur cor tuum inquietum est, dic illi cum Davide, quid perstrepis in me anima mea, spera in Deo vivo Ps. 42, 6, 12.

Afflicti nos ipsos excutiamus.

& cor ponamus.

Ex versu 6.]

I. *Seritis multum & infertis parum*] Docemur, propter quid

quid & à quo omnis nobis immutatur maledictio, videlicet propter peccatum â Deo affligimur, non à casu est, non primariò à Diabolo aut hominibus, id quod doctrinæ nostræ inservit: primò, ut caveamus flagitia, qui cupimus evitare supplicia, deinde ut afflicti, à peccatis, quibus iram Dei meruimus, desistentes, à throno justitiæ appellemus ad thronum gratiæ. denique ne murmuremus contra Deum aut homines, aut ad alias causas secundas respiciamus. *Unde sit maledictio.*

II. *Comeditis, & minime ad saturitatem, bibitis, & non ad ebrietatem.*] Non in solo pane vivit homo, sed per omne verbum, quod egreditur ex ore Dei benedicentis Deut. 8, 3. Matth. 4, 4. nec cujusquam vita ex his, quæ ipsi suppetunt, in eo sita est, ut redundet Luc. 12, 15. quod Lutherus vertit elegantiùs, *niemant lebt davon daß er viele Güter hat* quod si ita est, merito quotidie rogamus Deũ, ut ille nostro cibo benedicat, & ipse nos satiet Ps. 145, 15. 16. siquidem, quando ipse frangit scipionem panis Levit. 26, 26. Psal. 105, 16. edunt homines, & tamen non saturantur Mich. 6, 14. Exempla vis? aspice divites multos, præcipuè quibus *Dei benedictio ditat.*

crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit, videbis eos magnas inter opes esse inopes, infirmos, debiles macros, pallidos, eorumq́ liberos cibo distentos cadaverosâ esse facie & vix ossibus hærere. contrà etiam considera pauperes, miseros rusticos, eorumq́ liberos firma valetudine plerumq́ præditos, rubicundos, obesos & pulchros facie. *& sustentat.*

III. *Induimini, nemo tamen ita ut sit calor ipsi, & qui mercedem reportat, reportat in pertusum loculum*] Etiam

Deus etiã. vestit.

reliqua, quæ ad victum & amictum pertinent: nisi Deus illis benedicat, nihil prosunt. Videre hoc est in divitibus ægrotantibus, quibus cum membra horror febrilis concutit, nullis culcitrarum, stragulorum vestimentorum fomentis potest languor abigi, aut ipsi recreari. quin etjam hoc observare licet in media hyeme benè amictos divites sæpius magis frigore uri, quam rusticos aliosque mendicos pannis obsitos aut laciniis vix tectos. Ostendit hoc Deus in Israelitis per desertum totos annos quadraginta vagantibus, quando vestimentum eorum non veteravit, sed tegumento fuit illis Deut. 8, 4. neq; calceus est detritus Deut. 29, 5. ut cognoscerent, Jehovam esse Deum suum, ib. v. 6. Verum igitur illud psalmistæ est: Bonum est parum cuiq; justo, plus quam copia sua improbis multis Ps. 37, 16. quia Deus etiam parvo benedicere facile potest, qui

Ab eo igitur omnia expectemus & petamus.

sæpius ex parvo plus superesse facit,

ut testantur exempla 2. Reg. 4, 42. 34. 44. Mat. 14 17. 20. & 15, 33. contrà multorum volentium ditescere omne studium est vanum & frustraneum, quia Deo operi manuum eorum non benedicit 1. Tim. 6, 9. Ps. 127, 1. Deut. 28, 17. 44, 48. propterea pecuniæ injustorum ut fluvius exarescunt Sir. 40, 13.

Ex versu 7.]

Eadem de eadem.

Qui loci doctrinarum hinc erui possint, suprà v. 5. indicatum est. Illud addatur saltem, sæpe eadem esse auditoribus inculcanda Phil. 3, 1. Confer Deut. 6. v. 7, 8. 9. Gen. 18, 19.

Ex versu 8.]

1. *Ascendite in istum montem*] Quia supra in versu

2. L. C. 3. ostensum est, quomodo sensu hujus hortationis mystico seu anagogico rectè uti possimus, si per domum Deo adhuc ædificandam intelligamus corpus nostrum, in quo benedicta Trinitas habitet, Joh. 14, 23. nunc meritò hoc dejicimus, unde materia huic domui exædificandæ conveniens afferri queat, videlicet non ex valle aut lacuna peccatorum, sed ex monte, monte autem Domini seu Libano spirituali, hoc est, ex scriptura sacra cælitus nobis patefacta Cant. 3, 9. & 4, 8. 11. & 5, 15. Es. 2, 2. & 60, 13. Vide plura in Ps. 2, 6. Qui igitur hæc terrena & humilia tantùm curant, in montem illum Domini neq; in hac neq; in futura vita ascendunt Ps. 15, 1. Col. 3, 2.

Domus Dei.

materia ex monte Dei desumenda.

II. *Ædificate domum hanc*] Vult Deus extare loca publica, ubi omnes ad cultum divinū conveniant, quò transeant in turba cum voce cantus & laudationis Ps. 42, 5. ubi homines conveniant, Psal. 122, 1. 2. & de pietate erudiantur Mich. 2, 2. quod cum non fit, Deus in manufactis templis non habitat 1. Reg. 8, 27. Esa. 66, 1. Act. 7, 49. & 17. 24. Non igitur sunt basilicæ olim eleganter exstructæ cum quibusdam Calvinianis deformandæ, nec cum Pontificiis pro locis per se sanctificatis habendæ, verum sacro usu prædicationis verbi puræ, ac Sacramentorum administrationis sanctificandæ, & in domos precationū dedicandæ Es. 56, 7. Matth. 21, 13. quemadmodum Deus ipse in V. T. priùs in tabernaculo, deinde in templo Salomonis priori, & demum hoc posteriori à Zerubabele exstructo peculiariter coli voluit, non autem uni loco semper simpliciter suam gratiam affixit, siquidem tabernaculum erat aliquando & aliquandiu ambulatorium. Vide Exercit. bibl. edit. secundam pag. 37.

Loca conventuum publicorum

non sunt per se sancta.

Opera Deo placentia quænam?

III. *Ut acceptum habeam illud*] Opera illa tantùm Deo placent, quæ ab eo ipso sunt mandata Deut. 12, 32. Ezech. 20, 19. non alia ab hominibus conficta Esa. 29, 13. Mat. 15, 9. quomodo omnes pontificiorum ἐθελοθρησκειας damnãtur Col. 2, 8. 23. unde Paulus, quoties magnum bonorum operum recenset Catalogum, ad unicum nos revocat Decalogum Rom. 12. & 13. capp. Gal. 5, 14. 22. 23.

Templum frequentandum

IV. *Glorificem me*] Templum ad pios usus destinatum est locus, ubi habitat Dei gloria. Ps. 26, 6. 8. Exod. 25, 43. & 40. 34. 1. Reg. 8, 11. & proinde libenter illud frequentemus, ut veniens Deus benedicat nobis Exod. 20, 24.

Ex versu 9.]

Ditescere cupientes.

I. *Spectatis ad multum &c.*] Homines ditescere cupientes sibi ipsis mille creant molestias, & Deo maledicente omnes illorum conatus sunt inutiles sup. v. 4. L. C. 1. & v. 6. L. C. 1. 2. 3.

Quando templum spiritualiter vastũ.

II. *Propterea quod domus mea est vasta*] Tunc templum Dei maximè vastum est, non quando in illo apparent pauci homines aut nulli, sed etiam tum, quando concurrunt plures mali, siquidem hi coram Deo sunt mortui 1. Tim. 5, 6. qui licet dicantur vel existimentur vivere, tamen sunt mortui Apoc. 3, 1. quibus meritò illa cum Jacobo occinas, fides quæ est absq; operibus, est mortua, sicut corpus absq; spiritu est mortuum Jac. 2, 17. 20. 26. & quamvis tales corpore & labiis appropinquent ad Dei sacra, Esa. 29, 13. Matth. 15, 8.

attamen ab totum cor est procul inde remotum, in conspectu Dei non astant, neq; ambulant (quod soli faciunt verè pij, 1 Reg. 17, 1. Gen. 6, 22. 24. & 17, 1.) sed cum

Caino

Caino â facie Jehovæ egrediuntur Genes. 4, 16. cum Juda à Christo ejusq; veris discipulis exeunt Johan 13,30. 1. Joh. 2, 19.

III. *Excurritis quisq; pro domo sua*] Omnes illos redarguit, qui potiorem sui, quàm Dei habent curam, ut φίλαυτοι φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι 2. Tim. 3, 2. 4. habentes speciem pietatis, cùm vim ejus abnegent v. 5. inprimis tamen illos templi sancti seu Ecclesiæ ædificatores, qui potiùs suam, quàm Dei quærunt gloriam, non tam hominum animas venantur, quam crumenas & pecunias rimantur atq; aucupantur. illi excurrunt quisq; pro domo sua, domumq; Dei interea turpiter negligunt, de quibus vide Ezech. 34. Jerem. 23. Zach. 11, 16. 17. 1. Pet. 5, 2. 3. *Dei gloria quarenda*

Ex versu 10.]

Idcirco me contra vos, cohibentur cæli à rore] Quemadmodùm Deus sæpissimè etiam rebus temporalibus remuneratur pietatem Levit. 26, 3. Deut. 28, 1. &c. 1. Tim 4, 8. ita contrà sæpius difficultate victus, ac rerum omnium penuriâ punit impietatem Levit. 26, 19. Deut. 28, 17. 23. 38. 39. 40. 42. Ps. 34, 11. & 37, 25. & 112, 3. *Copia præmium,* *inopia supplicium.*

Ex versu 11.]

I. *Me advocante siccitatem*] Deus solus pro suo arbitrio regit tempestates, quâ de re dictum est Amos 4, 7. 9. 13. & 5, 8. Joel. 1, 3. 10. 11. 12. & 2, 22. 23. *Tempestas à Deo.*

II *Super terram, super montes &c.*] Cũ in hominis usum condita sint reliqua omnia, maledictio quoq;, quæ ex hominum peccatis exoritur, in reliquas creaturas redundat Rom. 8, 20. 21. Jon. 3, 7. & propter peccatum commissum, infortunium quodvis cr de immissum Habac. 1, 13. Soph. 3, 5. Ps. *Maledictio ad creaturas,*

& hæredes pertingit.

3.5. Ps.11, 5. 6. 7. quod nō tantum ad reliquas professiones, sed etiam ad hæredes pertingit Exod. 20, 5.

Ex versu 12.]

Lex semper urgenda.

I. *Auscultavit a. Zerubabel*] Verbum Dei sine fructu nunquam prædicatur Esa. 55, 10. 11. Mat. 13, 3. &c. Heb. 6, 7. 9. 10. servit hoc illis refutandis, qui in ministerio verbi publico constituti priusquam in coarguendo & minas legis exacuendo officium fecerint, malè ominantur de futuro successu, atq; ita ignavum volunt excusare ocium, quod sciant, se nihil effecturos apud incurabiles. Malè feriate & ignave (quod diligentes non spectat) serve, si nil aliud impetras, saltem animam tuam liberas Mat. 25, 26. 27. 30. Ezech. 3, 4. 6. & impio dixisti in testimonium Mat. 24, 14. Idem de professoribus Theologiæ, in Academiis, dictum esto, quoties ob raritatem auditorum defatigantur, vel ut magnam auditorum turbam habeant, placentia tantùm dicunt. Tu verò quisquis ad flagitia auditorū siles, iram Dei non effugies, qui tibi præcepit severe, ut cum tempestivè, tum intempestivè instares 2. Tim. 4, 2.

Magnates sunt etiam arguendi. illiq; faciant officium,

II. *Dux Jehudæ & sacerdos maximus*] Et omnes verbo Dei de peccatis monendi sunt, nec ab eo magnates sunt immunes. Vide quæ citata sunt Soph. 3, 3. & 1, 4. & omnes eidem meritò præstare debent obedientiam, ad exemplum Davidis 2. Sam. 12, 13. 16. & 24, 10. 14. Josaphati 2. Chron. 19, 4. Ezech. 2. Reg. 20. Josiæ 2. Reg. 22, 11. 29. Ut n. in bello boni duces primi sunt in acie & voce ac exemplo suo milites animant, ita in bello spirituali contra satanam instituto magnus ad victoriam, benedicente Domino & Imperatore summo, gradus est, si in hoc debellando

do primates subditis bono exemplo præluceant. quod diligenter notandum est omnibus verbi divini ministris, ut tantò studiosiùs laborent, quò illos, qui præsunt aliis, contineant in officio. Ita enim minori negocio reliquos continebūt, & hos facturos esse libentiùs, quod se decet, credibile est, quando vident exempla superiorum. Et quemadmodum medicus diligentiùs curat in corpore oculum, quàm pedem aut brachium: sic ille medicus animæ majori studio, in corpore Christi mystico, versetur circa partes principaliores, quæ regunt reliquas.

diligenter monet.

III. *Voci Jehovæ, verbis Haggæi prophetæ*] Ipsa verbi divini præconum verba Dei ipsius verba sunt 1. Thess. 2, 13. & proinde, qui illos audit, Deum ipsum audit. Luc. 10, 16. qui illos suscipit, Christum suscipit, Matth. 10, 40. & patrem ipsum Joh. 13, 20. quemadmodum hoc loco *Gualtherius* Calvinianus probat, id quod contra Goclenium notandum est, de cujus hoc errore vide Meisn. p. 1 Philos. sob. sect. 1. c. 3. quæst. 1. sed eundem jam longè antè fovit *Clingius* in Exegesi. Ac licet in Colloquio Marpurgensi anno 1528. artic. 8. eum revocaverit, tamen ut canis ad vomitum rediit, anno 1530. in suâ confessione ad Carolum V. scripta. vide articulum 5. August. Confess. ejusq; orthodoxas Exegeses.

Verbum ministrorum est ipsum Dei verbum, quod negant quidam Calviniani.

PARS TERTIA.

Vers. 13.] Verum enimvero hac concione legali die primo, mēsis sexti habitâ cum magno fructu, ita ut auditores animum ad opus ædificationis adjicerent, deq; illo seriò urgendo cogitarent ac deliberarent per tres integras hebdomades, secundâ vice ex mandato Dei prodit Haggæus, & ne propter obstacula varia, quæ diabo-

Haggæus nunc solatur.

lus, mundus & caro injiciunt, vel saltem monstrant, animum despondeant, Dei auxilium promittit, & quorum vulnera vino antea eluerat, his nunc instillat oleum, quos minis legis terruerat, illos nunc promissionibus erigit, præcipuè quando per obnunciationem Thatnai aliorumq; hostium fides populi nutare poterat Esd. 5, 3. *Tunc locutus est populo Haggæus legatus Jehovæ, ex legatione Jehovæ*, non aliter quam divinitùs ipsi data habebat instructio, *dicendo*, quia tunc necesse erat mandatum Dei repeti, novamq; hanc promissionem adjici: *Ego* Deus vester omnipotens, verax, clemens, qui majores vestros mirabiliter defendi, vosq; brachio extento ex captivitate potenter reduxi, Ego *vobiscum sum*, opus hoc molientibus ex meo mandato adsum, ut me duce, autore & auspice idipsum vel invitis omnibus perficiatis, *dictū* ipsius *Jehovæ* est, qui dixit, & facta sunt, אמר ויהי, אמר ויעש, idq; in hoc propheta & Zacharia crebriùs solito inculcatur, quia populus eo tempore nimis erat timidus, & proinde autoritate ac vi verborum ipsius Jehovæ erigendus, quē qui habet, nil illi deesse, aut quicquam obesse vel resistere poterit. Hæc fuit concionis tum habitæ summa, quæ sine dubio tum pluribus verbis est exposita, aliisq; exemplis & rationibus declarata.

& Dei auxilium pollicetur. Dictum Jehovæ cur hic toties repetatur.

Effectus concionis mirabilis,

Vers. 14.] Ea autem promissione Evangelicâ auditâ omnes facti sunt longè alacriores quàm antea, caq; concione prophetæ sui Deus omnium animos promptiores reddidit, ut in cœpto opere celerius progrederentur ac melius pergerent, siquidem continuò omni timore depositò manum admovebant operi, qui est hujus secundi sermonis prophetici effectus. *Tum concitavit Jehova spiritum Zerubbabelis filij Schealthielis, ducis Jehudæ, & spiritum*

in omnibus ordinibus.

Jeho-

Jehosuæ, filij Jehotzadaki sacerdotis maximi, & spiritum reliquiarum totius populi, ut venientes facerent opus in domo Jehovæ, Domini *exercituum*, cui confidebant, hoc est, *Dei sui*, cujus clementiã ac favorem ex promissione perspexerãt.

Vers. 15.] Et hoc die materia ad ædificandum necessaria cœpta est præparari (unde die 24. noni mensis templi structura postea erecta est cap. 2, 10. 15.) videlicet *die vigesimo quarto mensis, sexto mense, anno secundo Darij regis*, de quo supra v. 1. ubi notandum, hunc versum 15. & hæc verba omninò ad hoc caput primum, & non, ut aliàs distinguitur, ad secundum pertinere, ne implicetur aperta contradictio.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 13.]

I. *Tunc locutus est Haggæus, legatus Jehovæ, ex legatione Jehovæ*] Si ministri verbi sunt legati ipsius Dei, autoritate ipsis a Deo commissa utantur confidenter, suo Domino nixi, qui, quicquid ipsis infertur injuriæ, tanquam si ipsi illatum esset, suo tempore vindicabit, non minus ut David ultus est eos, qui ipsius legatos affecerunt injuria 2. Sam. 10, 4. si parva licet componere magnis. Confer Job. 33, 23. Mal. 2, 7. & 3, 1. 2. Cor. 5, 20. & 13, 3. 10. 1. Cor. 5. Matt. 10, 14. 15. etiam id discimus ex adjecta restrictione, legatum Dei posse ex se aliquid dicere, qua homo est, quod non mandavit Deus. unde desinat pontifex Romanus gloriari, se non posse errare si enim prophetæ, non sequentes Dei mandatum possunt errare, ut Samuel, Nathan, Petrus &c. quidni ille filius perditionis? Ergo minister verbi videat, ut loquatur ex legatione Dei 1. Pet. 4, 11.

Ministri verbi legati Jehovæ,

& tamen etiam homines, qui possunt errare.

II. *Ego vobiscum sum*] Cogitatione nostræ infirmitatis & potentiæ hostium ne frangamur, in vocationis nostræ viis,

Dei præsentia nos animet,

viis, siquidem Dominus noster nos protegit, qui emissurus suos in mundum discipulos (quorum successores hodie sunt omnes fideles verbi divini præcones) solatus est eos: Mihi data est omnis potestas in cœlo & terra, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi Matt. 28, 18. 20. qui si est pro nobis, quis erit contra nos? Rom. 8, 31. dicamus cum Elisæo, ne metuito, plures sunt, qui nobiscum, quam qui cum illis sunt 2. Reg. 6, 16. dicamus confidenter cum Davide; in Deo confido, non timebo, quid faciat mihi homo? Psal. 56, 11.

In Domino confido meo, mala nulla timebo.
Quid faciat mihi homo, quem tegit ala Dei?

Conversis Deus est gratiosus.

III. *Vobiscum*] Illis, qui tandiu opus hoc divinum neglexerant, quamprimum in melius mutatâ sententiâ id aggrediuntur, quando statim suam gratiosam promittit Deus præsentiam, discimus, quod ex animo à peccatis conversos, & de iis seriò dolentes in gratiam & pro filiis recipiat. Jerem. 3. & 18. capp. Exemplo est David 2. Sam. 12, 13. & Judæi à Petro conversi Act. 2, 38 custos carceris Actor. 16, 31. filius prodigus Luc. 15, 20. 22. quod est contra satisfactiones Pontificiorum fictas notandum. Vide Lutheri præfat. german. & in margine adjectas glossas in Acta Apostolorum.

Ex versu 14.]

Verbo prædicato Deus benedicit.

I. *Concitavit Jehova spiritum*] Per verbum â ministris suis prædicatum Deus homines convertit, & cum Paulus plantat, Apollo rigat, ipse dat incrementum 1. Cor. 3, 6. qui eos reddit N. T. ministros idoneos 2. Cor. 3, 6, & auditoribus dat velle ac perficere Phil. 2, 13.

II. *Spiritum ducis, sacerdotis maximi, & reliquiarum populi, ut venientes facerent opus in domo Jehovæ*] Omnes

in

in cœlesti illa triplici Hierarchia, seu statu Ecclesiastico, politico & oeconomico exemplo horum, de quibus in textu, decet opus facere, quemcq; pro vocatione sua, in domo Dei, ut illa magna Dei domus, hoc est, Ecclesia 1. Timoth. 3, 15. 2. Timoth. 2, 20. congruenter coagmentata crescat, ut sit templum Domino sanctum Eph. 2, 21. 22. illi rectè docendo, legemcq; Dei prælegendo, illi ritè suos regendo & protegendo, hi piè, justè, sobriè degendo, mit Lehren/ Wehren/ Nehren.

Omnes ordines in Ecclesia faciant suum officium.

Ex versu 15.]

Die vigesimo quarto mensis] Quia inter primam prophetæ nostri concionem legalem, & posteriorem hanc Evangelicam, illam ad negligentes, hanc ad diligentes in opere Dei habitam, viginti duo dies, quot sunt hebraici Alphabeti literæ, intercesserunt, non incommodè notat *Hieronymus*, id significari, quod oportuerit eos primum discere elementa sermonum Dei, quæ ubi jam tenuerunt, sine mora & timore ædificare cœperunt. Unde facile jam licet colligere, qui fiat, quod plerique homines in templi Dominici ædificatione, i. e. corporis animæq; suæ ad legem conformatione adeò sint negligentes, videlicet quia scripturæ sacræ elementorum ignari, quæ pios maneant in cœlis præmia, quæ impios in infernis expectent supplicia, nesciunt.

Oportet discere elementa sermonum Dei.

CAPUT SECUNDUM.

Argumentum.

POstquam jam opus ædificationis templi, suasu prophetæ, Judæi erant aggressi, & multi inter seniores ex jactis fundamentis de tenuitate subsecuturi ædificij

Summa.

conjecturam facerent, idq; cum templo priori comparantes ad illud nihil esse animadverterent, magna afficiebantur tristitiâ, & proinde ne hæc res novam ædificationi injiciat remorã, prodit propheta, & ex Dei mandato promittit, utcunq; structura hujus templi externa cum priore non sit comparanda, futurum tamen ut per Christi præsentiam longè major ejus sit gloria, ideoq; ejus erectio alacriter porrò urgenda, inprimis cùm viderint hactenus, quæcunq; Deo obtulerint sacrificia, minùs fuisse grata, quando templum non ædificabant, siquidem magna rerum omnium premebantur penuria: ex eo autem tempore benedictionem Dei sint certissime experturi, non tantùm in rebus corporalibus, sed & præcipuè in spiritualibus, quæ in regno Christi, per Zerubbabelem adumbrati, per Evangelij prædicationem dispensantur iis, qui fide ad eum se recipiunt.

Divisio popularis.

Juxta tres conciones, quarum summæ hîc sunt annotatæ, hoc caput in tres partes cum aliis potest dividi. In I. tollit propheta remoras & studij in ædificando templo exstinguendi occasiones præscindit. v. 1. &c. In II. crassos populi ædificantis errores redarguit, qui ipsis ritibus & ceremoniis in altari peractis, non autem ex interna animi pietate, & cordis sanctitate se suaq; Deo grata esse putabant, quum obedientiam ejus mandato non præstarent, & propterea benedictionem hactenus frustra sperarent, antequam manus operi seriò admoverent. v. 10. & seqq. In III. de stabilitate regni Christi fit promissio v. 20. &c.

Alia plenior, Partes tres.

Nos ad generalem hujus prophetiæ ἀνάλυσιν suprâ traditam respicientes itidem eosdem q; tres hujus capitis faciemus partes, verùm paulò alia facie. Quia n. ut antea

indi-

indicatum est in προλεγομένοις, rescq; ipsa probat, post inceptum ædificationis opꝰ, non tam minas quàm promissiones proponit propheta obsequentibus, dicimus præcipuè hîc contineri tres Dei promissiones, quarum tamẽ prima & secunda, ut magis dulcescerent, ἀνυβρίστως proponuntur. Nam cùm inprimis hoc spectet Haggæus, ut Judæi infracto animo pergant, alacriterq; cœpto instent operi, consolationum nervos & rationes aperit, quibus eos permoveat, ne patiantur ullo modo rei difficultate aut metu se abstèrreri. Primùm igitur post temporis annotationem, ejusq; à quo, per quem v. 1. & ad quos hoc verbum factum sit v. 2. (quæ sunt quasi commune concionum hujus prophetæ exordium sup. c. 1, 1. infrà v. 10. & 20.) per occupationem objectionis tacitæ: Angusta & tenuis est hæc domus, quæ exstruitur, nihilq; ad templũ Salomonis v. 3. aditum ad primam promissionem, ejusq; objectionis refutationem sibi parat, cum quia non minꝰ in hoc, quam priori templo, dum V. T. durat, sit gratiosè præsens futurus v. 4. una cum suo verbo essentiali & Spiritu Sancto v. 5. tum quia in N. Testamenti initio longè major ejus in λόγῳ incarnato sit futura gloria, & quidem tanta, ut ad illius conspectum meritò commoveantur omnes creaturæ, tam inanimatæ v. 6. quàm animatæ seu homines, & inprimis gentes v. 7. & quanquam externa templi facies, quod ad aurum & argentum, futura est minùs glorioſa v. 8 tamen interna & spiritualis, quã præcipuè pax conscientiæ indicat, erit illustrior v. 9. etq; ita prima promissio ad templum ejusq; ornatum spirituale tam à creatore, quàm à creaturis obventurum pertinet.

Objectionis refutatio.

gloriæ majoris pollicitatio.

Secunda ad agrum & rem familiarem Judæorum spectat potissimùm, quæ (post notationem temporis v. 10. ut

II. Promissio be-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729966941/phys_0051
DFG

Maledictio in rem familiarem,

ut suprà v. 1. fuit declaratum) quod hactenus inobedientibus tamdiu sit dilata, causa prius indicatur typi duplicis sacerdotibus propositi v. 11. prioris v. 12. posterioris verò versu 13. enarratione, & applicatione v. 14. quorũ summa: Ut ex rei sanctificatæ contactu mediato non sanctificatur res alia v. 12. ut ex rei immundæ contactu impuratur v. 13. sic ex altari vos inobedientes non estis sanctificati, sed vos impuri sacrificia quoq; impuraſtis, & quò minus grata forent, effeciſtis v. 14. deinde, cur jam sit obedientibus data, ratio & collatio utriusq; temporis diligenter considerati v. 15. indicat. Antea erat non ædificantibus mera maledictio & imminutio v. 16. 17. nunc verò ædificantibus est multa benedictio & magna multiplicatio v. 18. 19.

sit duplici typo
1.
2.

III. Promissio de regni Christi stabilitate.

Tertia denicq; promissio adjecta temporis mentione v. 20. ejusq;, cui illa erat proponenda v. 21. est de regni Christi, cujus præcedentia sunt symbola, stabilitate, siquidem reliquis mundi regnis pereuntibus v. 22. id solum stabile futurum est ac perpetuum v. 23. Breviter, promittitur templi secundi gloria illustrior, agri & fructuum in agro Judaico copia uberior, regnicq; Christi gratia firmior. Vel, pollicetur templi glorificationem, campi fructificationem, Ecclesiæ durationem.

Confratres eodem dicuntur.

PARS PRIMA.

Vers. 1.] Quando Judæi superiori Haggæi exhortatione & pollicitatione excitati jam fere quatuor hebdomades in opere consumserant & metuendum erat, ne corũ studium frigesceret *mense septimo, vigesimo primo die mẽsis fuit verbum Jehovæ per Haggæum prophetam dicendo.* quib9 verbis indicatur tempus & autores hujus prophetiæ: illud,

Cur tempus & au-

ut in-

ut intelligant Judæi, præfinitum à Deo tempus esse elapsum, & proinde templum omnino reparari posse & debere: hi verò indicantur, ut res sit certa & talis, cui refragari nemo pius meritò debet, ut ita propheta vocationẽ suam confirmet, cum rem magni momenti erat allaturus. *tores indicentur.*

Vers. 2.] Ut autem intelligant singuli, quod ad seq; quoq; pertineat, hoc opus pro viribus juvare, non generalem sermonem facit propheta, sed singulos omnium ordinum status, Politici, Ecclesiastici & Oeconomici alloqui jubetur. *Alloquere*, inquit Deus, *jam*, cùm nondum studium ædificandi planè deferbuit, *Zerubbabelem, filium Schealthielis, ducem Jehudæ, & Jehosuam filium Jehotzadaki, sacerdotem maximum, & totius populi reliquias, dicendo*, hisce verbis eos affare; *Omnes ordines sigillatim Haggæus alloquitur.*

Vers. 3.] *Quis inter vos est reliquus* (siquidem ex junioribus qui estis, oculis eam domum priorem non usurpastis) ô seniores, quibus vix quicquam jucundius, quàm de rebus vetustis rogari, quis est inter vos, qui *viderit domum istã*, templumq; prius à Salomone exstructum, quo non habuit totus orbis quicquam magnificentius, & viderit *in gloria*, splendore & decore *ipsius priori*, quippe quod excellentiâ, arte structuræ, ornatuq; magnifico, vincebat reliqua omnia, &, quando ista benè consideravit, ac ad animum revocavit, cum illâ conferat hanc domum, quam nunc ædificare cœpistis, *& qualem vos videtis eam nunc*, quum sciam super hac collatione institutâ animi vestri cogitationes, dicam, *nonne ad illam domum, quam Salomo ædificaverat, tanquam nihil est in oculis vestris*, nullius precij vobis videtur, & perinde eam habetis, ac si non esset, quum impolito saltem lapide Esd. 5. 8. & 6. 4. jaci fundamenta cernatis, quæ antea ex politis *Seniores viderunt domum priorem.* *posteriorẽ ad illam nihil esse cernunt.*

simis & affabrefactis lapidibus exstruebantur, unde nunc de reliquo ædificio facilè conjecturam facere potestis, quum Salomonis templum, uti dictum est, fuerit ex saxis artificiosè dolatis ædificatum 1. Reg. 5, 18 & 6, 7. quod etjam longè altius ac latius fuit, quam hoc posterius, cui saltem sexaginta cubitos in latitudinem & altitudinem indulsit Cyrus Esd. 6, 3. Hæc igitur est hujus exhortationis occasio, quemadmodum jam olim, cùm prima templi hujus jaciebantur fundamenta Esd. 3, 12. plerique seniores (siquidem tum adhuc longè plures adhuc supererant, quam hoc tempore, quando prophetabat Haggæus, ubi pauci erant reliqui) videntes præsentem apparatum tenuem, mœrore afficiebantur insigni, quod priori hoc templum non esset futurum simile, quandoquidem illic David & Salomo ingentem auri, argenti, aliarumque rerum copiam plurimis annis comparaverant, hîc verò ex captivitate reversis non suppeditabat tanta rerum abundantia. Sic cum opus ædificationis ex mandato DEI redintegrarent, ex senioribus eandem querelam quoque ex pio quodam zelo, sed qui non erat secundum scientiam, resumserunt, sine dubio promissiones spirituales ipsis de regno Christi sub umbris V. T. factas Esa. 60, 11. &c. Ezech. 40 & seqq. cap. corporaliter intelligentes & explicantes, & proinde, quum eas hic non impleri videbant, dubitare incipere poterant, num tempus complendæ promissionis DEI de exstruendo templo esset impletum. quæ res ne novam ædificantibus junioribus injiceret moram, ex mandato DEI ita instat Propheta: Ego jussu DEI vos hortor, ne desistatis propterea, quod, si hoc templum cum priori conferatur exteriùs, vilius videatur, ne sinite vestrum propterea refrigescere studium.

ratione materiæ,

& magnitudinis.

Occasio hujus exhortationis.

& falsæ opinionis.

Vers.

Vers.4.] *Etiam nunc*, hoc rerum statu, noli tristitia aut metu langueſcere, ſed *confirmare* tu dux operis præcipue *Zerubbabel, dictum Jehovæ, & confirmare* tu quoq; *Iehoſua, fili Iehozadaki, imò confirmare univerſe populo huj9 terræ*, quotquot eſtis de vulgo & plebe infima, qui dicuntur populo terræ, ſcripturæ phraſi, quatenus diſtinguuntur a principibus, qui ſunt velut ſemidei, deiq; vicarij Pſ. 82,6. & terræ ſcuta Pſ.47,9. vide autem hoc loca Gen.23,13. Jer.37,2. & 44,21. & 52,6. Ezech.33,2. Dan.9,6. Zach.6,8. confirmamini vos in omnibus ordinibus omnes, *dictum Jehovæ, &*, quod bene cœpiſtis, *perficite*, nolite remittere, priuſquam ad finem deduxeritis, *ſum n. vobiſcum* Sup.1,13. *dictum Jehovæ*, domini *exercituum*, qui ſum potentiſsimus, adſum, do ſucceſſum, largior incrementa, voſq; adverſus quasvis adverſariorum injurias ac machinas potenter protueor, ſiquidem propitia mea præſentia gubernationem, defenſionem, benedictionem, ſucceſſumq; felicem importat. ubi tamen vocem Jehovæ propter ſequentia cum quibuſdam patribus & orthodoxis interpretibus accipimus hypoſtatice de prima S S. Trinitatis (cujus hîc propratione illius temporis myſterium habetur) perſona, ut ſit hoc dictum Jehovæ DEI patris explicantis ſe, ſuaque bona communicantis in Chriſto, filio ſuo, de quo in verſu ſequente. Atq; hæc eſt prima ratio ſatis firma, cur non ſit cœptum opus deſerendum, quoniam Deus pater per filium in Spiritu Sancto illi gratioſe adſit, & proinde fieri neutiquam poſsit, ut, qui illi incumbunt, in re inani ſuam perdant operam, quippe quos DEI favor auxiliumq; non deſtituit.

Omnes ordines confirmantur

Populus terræ.

Deus adeſt.

Vox Jehovæ notat hic patrē.

1. Ratio, cur templum ſit ædificandū, ex Dei præſentia.

Vers.5.] Secunda ratio inde deſumitur, quod pertineat hæc res ad pactū DEI cum Iſraelitis ex Ægypto per Chri-

2 Ratio, ex pacti præſtantia.

stum deductis initum. Nam quemadmodum tum patribus ipsorum manum auxiliatricem in hoc eductore porrexit, ita etiamnum auxilium illis pollicetur ob favorem suum in eos perpetuum, quem olim liberatione ex Ægypto miraculosa satis ostendit. Sic autem ipse Deus pater hanc promissionem repetit: Ego vobiscum sum unà *cum VERBO* seu λόγῳ essentiali & æterno, quo cœli firmati sunt, Psal. 33, 6. in quo me patribus revelavi hactenus 1. Sam. 3, 21. Hebr. 1, 1. propter quem res præsto maximas 2. Sam. 7, 21. 1. Chron. 17, 19. quoq; interveniente ac intercedente *pepigeram vobiscum* fœdus illud perpetuum, fore me Deum vestrum, & vos fore populum meũ Exod. 6, 4. & 19, 6. quæ promissio, ut reliquæ omnes, in Christo tantùm fiunt ratæ 2. Cor. 1, 20. qui propterea dicitur angelus fœderis Mal. 3, 1. Et quia lex per Mosen lata propter infirmitatem carnis nihil potuit efficere, sed literam occidentem habuit Rom. 8, 3. 2. Cor. 3, 6. Evangeliũ per Christum & gratia per eum data ac præstita succedit, & ministerium spiritus vivificantis est Jer. 31, 30. Ezech. 36, 26. Hic a. Christus æternus, verbum, sermo seu λόγος Joh 1, 1. *etiã exeuntibus vobis ex Ægypto* 1. Cor. 10, 4. 9. *& cum Spiritu meo* Sancto *in vobis stante*, firmiter inter vos durante, ac in conspectu meo stando pro vobis intercedente gemitibus, qui verbis exprimi nequeunt Rom. 8, 26. quiq; ut tum ducebat per viam planam morigeros, & docebat rectissima quæq; obsequentes, sic adhuc vobis in opere hoc pergentibus intelligentiam dexteritatemque in agendo daturus est, & proinde *ne timeatis*, bene res succedet, quæ est tertia ratio, videlicet de præsentia gratiosa Spiritus S. peculiaris promissio, quæ meritò omnem tollat formidinem Rom. 8, 9. 11. 15. Notandum verò

Christus Verbum patris,

angelus fœderis,

æternus Deus.

& Spiritus S.

3. Ratio à Sp. S. gratia.

verò est hoc loco diligenter, haberi in his verbis satis disertum de Trinitatis mysterio testimonium in V. T. quoq; pro ratione illius temporis, respectu N. T. obscurius tradito, siquidem Jehova pater ille cœlestis cum verbo ac Spiritu S. se Judæis affore expresè declarat. *Trinitatis mysterium.*

Vers. 6.] Quarta ratio est longè suavissima, quod Deus brevi juxta promissionem in paradiso datam, & postea sæpè repetitam, Messiam sit exhibiturus, quomodo præoccupatione eleganti istis omnibus occurritur, quæ Judæis poterant movere scrupulum, eosq; in cœpto opere remorari, qualia vel inprimis erant temporis, quo promissio data differebatur, diuturnitas, & hostium potestas. Etsi enim Messiam venturum esse scirent, tamen adventum ejus longiùs abesse videbant, quàm ut ipsis aut proximis posteris eorum posset esse solatio, quale illi expetebant ex præsentia corporali: & vix passuri videbantur hostes, ut regnum illud Messiæ, cum jam tandem constituto à Deo tempore, veniisset, surgeret, aut crescceret, ut sit ex superioribus hæc nata objectio. Tu pater clementissime facis mentionem fœderis nobiscum initi, cùm aliàs, tum in exitu ex Ægypto, in quo omnia huc spectant unicè, futurum tandem, ut veniat Messias, qui omnia restituat. Verùm jam tot secula expectamus, &, ut apparet, expectaturi sumus plura, dum Salvator noster non venit in carnem, & quando jam tandem aliquãdo venit, vix nobis prodesse poterit, si illa hostiũ nostrorum duret potentia. Quid verò ad has Judæorum voces querelas respondet Dominus? Hoc scilicet, etiamsi vobis, qui angustis temporum finibus claudimini, longissimum hoc videtur temporis spatium, tamen cum æternitate mea comparatum valde modicum est Ps. 90, 4. 2. Pet. 3, 6. *4. R. à Messiæ exhibitione.* *ubi temporis diuturnitas,* *& hostiũ potestas tollitur.* *Modicum.*

Hab. 2, 3. 1. Joh. 2, 18 1. Petr. 4, 7. *Sic enim ait Jehova*, Dominus *exercituum* cum nondum omnia in fœdere vobiscum inito sint à me completa, sed adhuc ejus redintegratione ac confirmatione extremâ opus per Evangelium Christi, *adhuc semel*, quemadmodum olim factum est in promulgatione legis Exod 19. & unum hoc *parvum* seu modicum temporis momentum *restat, tum ego* ipse omnibus hostibus vestris potentior & veritas ipsa, *commoturus sum cœlos & terram, & mare & siccum*, ut Christo nascente, patiente, moriente, surgẽte, in cœlos ascendente ac suos apostolos in totum terrarum orbem emittente ista commoveantur omnia, quæ hactenus nondum præsente illo in carne, quievisse videntur, quemadmodum hæc omnia tempore Christi esse completa Evangelica narrat historia, siquidem cum nascebatur Christus cœlum movetur lætitiâ Luc. 2, 9. 13. 15. impiorum corda tristitiâ Mat. 2, 3. quando moriebatur, sol obscuratur, terra concutitur, rupes dissiliunt. Matth. 27, 45. 51. 52. quando resurgebat, erat terræ motus magnus Matt. 28, 2. in cœlum ascendenti nubes præbet vehiculum, angeli perhibent ex cœlo testimonium. Act. 1, 9. 10. Denicq; die Pentecostes revera cœlum & domus, in qua erant congregati apostoli, commota sunt Act. 2, 2. 3. & contra eorundem de Christo prædicationem multos excitavit & commovit Diabolus in terra, quemadmodum hinc inde in Actis Apostolorum legere est. c. 4, v. 5. 25. 26. 27. c. 5, 18. c. 6, 9. & 7, 54. c. 13, 45. c. 14, 19 & 16, 19. & 18, 12. & 19, 29. & 21, 27. & 23, 13. 14.

Commovetur cœlum, terra

Vers. 7] Atq; hoc modo Ego DEUS cœli non tantùm inani-

inanimata, sed maximè homines, (quippe propter quos etiam reliqua omnia fiunt miracula) *commoturus sum*, & quia tempus erit N. T. rumpetur paries ille intergerinus inter Judæos ac gentes hactenus distinguens Eph. 2, 14. & adducturus sum ad Ecclesiam *gentes omnes* ex finibus terræ (sicut & factum esse in historiis N. T. de apostolis, Petro, Paulo item, ejusq; comitibus, annotatis legimus) tum quando jam *venerit desiderium illud* summum (id quod in textu hebræo enallage numeri & generis in verbo observata, nec sine causâ adhibita notat. Vide Buxt. thes. pag. 400. 401. 402. & 388.) *omnium gentium*, ille Messias, quem anxiè expectare meritò & expetere debebant omnes gentes, quandoquidem unaquæq; res naturæ quoq; instinctu maximè appetit id, quo maxime indiget. Lutherus vertit, da sol den kommen Aller Heiden Trost/ & in margine, Das ist/ CHristus/ der alle Welt trösten sol durch vergebung der Sünden. Et per hunc Messiam *impleturus sum domum hanc gloriâ*, quando ille rex gloriæ Ps. 24, 7. 8. qui major est Salomone Matth. 12, 42. in eo templo docuerit & miracula ediderit, qui est Deus & homo, quemque priores V. T. umbræ & historiæ respiciunt, quando narrant, quod gloria DEI ad arcam propitiatorij, & ad sanctuarium, cum alias in tabernaculo, tum in dedicatione templi Salomonici apparuerit, ita nunc veniet corpus ipsum, & glorioſa sua præsentiâ, doctrinâ & miraculis istum locum, quem vos jam paratis, ornabit, *ait Jehova* Dominus *exercituum*, ut sit hæc eadem promissio, quæ apud Malachiam cap. 3, 1. repetitur, quæque magnam huic loco lucem affert. Sic autem habet: Missurus sum angelum meum, qui expe-

Gentium vocatio.

Desideriũ gentium, *est Messias*

implet domum secundam gloriã.

expediat viam ante me, & repente veniet in templum suum Dominus, quem vos quæritis, & angelus fœderis, quo vos delectamini, hoc est, desideratissimus ille. quomodo longè melio cum patribus, aliisq; nonnullis, quàm cum Junio & paucis alijs explicamus illa verba nostri Prophetæ Haggæi de Christo, quàm de Christianis, potiùs de eligente, quàm de electis, siquidem vocatur desiderium phrasi hebræa, cum sit res maximè desiderata, ut Ps. 21, 3. desiderium pro re desiderabili ponitur, & aliàs Hebræi peculiari quodam linguæ idiotismo res vel personas desiderabiles maximè, nominant res vel viros desiderij seu desideriorum Esd. 8, 27. Gen. 27, 15. Dan. 9, 23. 2. Chron. 20, 25. & 32, 27. & 36, 10. 19. Ps. 106. 24. Jerem. 3, 19. & 12, 10. & 25, 34. Ezech. 26, 12. Dan. 10, 3. 11. 19. & 11, 8. 37. 43. Hos. 13, 5. Amos 5, 11. Nahum 2, 10. Zach. 7, 14. & abstractum pro concreto positum superlativum innuere jam supra aliquoties demonstratum est. Exempla vide Gen. 3, 6 & 11, 34. & 27, 2, 17. & 43, 11. Psal. 10, 15. & 67, 5. Dan. 10, 11. 19. Eccles. 10, 3. Exod. 12, 42. & 17, 12. Joel. 2, 3. & 3, 17. Marc. 13, 19. Amos 5, 11. Matth. 24, 15. 2. Cor. 5, 21. Eph. 5, 8. Coloss. 1, 13.

Desiderium.

Abstractum pro concreto.

Id a. nunc restat, ut ostendamus, cum loquatur hoc loco propheta de adventu Christi primo in carnem, quē valde anxiè expetebant veteres Gen. 4, 1. Luc. 10, 24. Joh. 8, 56. quomodo Paulus hoc dictum rectè usurpare possit, quum adducat illud Heb. 12, 26. 27. (ut plerique putant interpretes) ad secundum Christi adventum probandū, qui erit ad judicium. Quod ut explicetur, hæc notanda sunt. Hortatur ibi apostolus ad spei nostræ confessionem, ejusq; consequendæ modum ostendit, qui est, ut Christo doctori & Prophetæ nostro adhæreamus, ejusq; verba ad nos

Pauli allegatio Hebr. 12. conciliatur.

Scopus apostoli, & hortatio.

nos loquentis non aspernemur, quum longè meliora loquatur quàm Abel v. 24. Hujus hortationis argumenta afferuntur duo, unum ex comparatis, à minus ad magis, quando Mosen cum Christo, & eos, qui Mosen aspernati sunt, confert cum iis, qui Christum ipsum, cujus ille tantùm servus fuit, aversantur, ut in eadem epistola idem apostolus colligit cap. 2, 1.2. 3. & 3, 3. & 10, 21. præcipuè quum ille loquutus sit in terris, hic loquatur jam ex cœlis v. 25. alterum à comparatione signorum adjunctorum & consequentium ex vocis illius majestate, nempè quod tunc, quum Moses Dei verbis loqueretur, vox Dei concusit saltem terram, nunc verò ad patefaciendum Evangelium olim promissus & nunc exhibitus Messias, quando suam legationem obit, præterea etiam cœlum concutiat v. 26. ut quondam Haggæus prædixerat quod argumentum est efficacissimum, ut homines libenter & cũ magna reverentia Christi verbum accipiant in N. T. quippe in quo completum, quod olim promissum in V. quemadmodum pluribus hoc ipsum Franciscus Junius (ex quo pleraq; hæc ad conciliationem necessaria traduximus) lib. 3. sacrorũ parallelorum persequitur. Unde facilè patet, quod apostolus in his verbis ac versibus de extremo Christi adventu non agat, quem in sequentibus versib9 illis dicit esse formidandum, qui eum in primo in carnem & spirituali per verbum & sacramenta instituto adventu neglexerunt, & proinde aptissimè eo testimonio usus est.

Ejus argumenta duo.

1.

2.

De ultimo Christi adventu non agit.

Vers. 8. Atq; hacten9 quarta nostri prophetæ hortantis, ut in cœpto opere alacriter pergant Judæi, declarata est ratio: quinta porro est contra inopiæ terriculamentũ directa. Neq; est quod prætendatis, vobis non esse tantum

5. Ratio, à Dei ἀυταρκείᾳ.

divitiarum, unde tam sumptuosum erigere possitis ædificium, quia omnes divitiæ, inquit Deus, meæ sunt, & ego suppeditabo necessaria, si qua desunt, & quicquid vobis supereſt, à me datum est. Nam quod illa prior domus fuit auro & argento valde ornata, non est quod quempiã afficiat, siquidem illa non minus jam sunt mei juris, quàm olim, ideoq; dare possem, si vellem, & proinde si alius promitteret, se daturum sumptus, meritò dubitare poteratis, an ille ita abundet divitiis, ut rem tantam possit præstare: Verum me promittente, cujus sunt omnia, quæ potest superesse dubitandi causa? *Meum est argentum, meum est aurũ, dictum Jehovæ* Domini *exercituum*, & proinde pro meo in illas divitias imperio advocare, si vellem, facilè possem.

6. Ratio, à majori gloriâ.

Vers. 9.] Jam verò quum externa illa non spectem, neq; curem, quid vos propterea animo angimini, quod absint. ecce de meo longè meliorem & glorioſiorem huic domui (quæ est sexta ratio) additurus sum ornatum, siquidem per Christum gratissimum & desideratissimum omnibus piis liberatorem præsentem, *major futura est gloria domus hujus posterioris templi secundi, quàm illius prioris*, cùm hîc umbra, ibi verò corpus sit, *ait Jehova* Dominus *exercituum*. Quod membrum licet varij variè interpretentur, & inprimis Ribera de templo ab Herode ædificato, quod valdè, externum ornatum si spectes, fuit illustre, nobis tamen cum patribus, & inprimis Augustino l. 18. C. D. c. 35. & 45. & 48. placet hoc membrum, ubi promittitur major decor & gloria, de Christo accipere, qui est rex gloriæ Ps. 24, 7. 8. & per eum solum vera sua templis constat gloria Ps. 26, 8. q. d. quid vos aurum & argentum, aliaque ad magnificentiam externam facientia spectatis, potius ad Christum, omnis gloriæ autorem, qui in-

Non ab Herode exſtructi.

hoc templo tandem est affuturus, oculos fidei animosq; convertite, & huc intendite. atq; ita cum divitiarum fit mentio ac gloriæ non comparatio in pari, sed â minus ad magis instituitur, atq; inde argumentum desumitur id quod etiam membrum sequens, (in quo est septima ratio, â beneficiò Messiæ venientis præcipuè, pace scilicet æterna desumpta) probat, nam *in hoc loco* per Christum sanctificato, & ubi ille est fide acceptus, Rom. 5, 1. *dispo-nam pacem*, quia ipse solus est vera pax Mich. 5, 5. & regnum ejus est Justitia, pax & gaudium in spiritu sancto Rom. 14, 17. *dictum Jehovæ* domini *exercituum*, id quod de templi Herodis externâ gloriâ planè dici nequit, quippe in quo hactenŋ considerato multi exorti sunt tumultus, imò cædes multæ factæ, ut apud Gualtherum in hunc locum videre est. Et quia res plana est, de templi Herodis externa gloria hîc non agi, in Ribera refutando non curimus prolixiores, cùm ipse (postquam valde prolixè & frustra conatus erat suam probare sententiam, de externâ gloria hic agi) de pace spirituali hoc, quod sequitur in eodem v. 9. interpretari cogatur num. 53. contra quem tum notandum est id, quod alibi â nostris & Calvinianis est demonstratum, uniuscujusq; loci biblici tantùm unũ literalem esse sensum. Quod verò idem tam operosè ex historicis probat, contra suos quoq; sociennos, ac præcipuè Eckium, longè magnificentius templum ab Herode fuisse exstructum, quàm fuerat non tantùm hoc, cui ædificando jam incubuerunt Judæi, sed etiam prius â Salomone exstructum, nos qui id simpliciter non negamŋ, nõ attinet vel attingit, qui tantùm hoc petimus certis rationibŋ demonstrari, illã gloriam externã hîc à Deo ædificãtibŋ secundum templũ promitti. Nam quod is vel palmarium

7. Ratio, à pace æternâ.

Quæ non fuit in templo Herodis.

Unius loci unus sensus.

rium sibi ducit, valde fragile est argumentum, quod alias non potuissent inde ædificantes excitari. Scimus n. quod prophetæ, ubi verum solatium & incitamentum volunt ponere, à rebus externis ad Christum auditores suos traducant, ut suprà sæpius ostensum confidimus. Et fortius urget pios promissio de spiritualibus bonis, eorumq; fundamento Christo, quàm de terrenis & corporalibus, quæ norunt peritura esse omnia. Adde, quod Riberæ proposito planè contrarietur illa adducta ratio, & sine dubio illam (si à propheta esset data) Judæi invertissent ratiocinationem: ædificate hoc templum, quia Herodes illud magnam partem diruet, & postea magnificentiùs eriget ac ornabit; quin imò advertissent, si ita se res habet, nos frustra in hoc exstruendo non defatigabimur, quia est ex parte destruendum, & per Herodem suo tempore hoc restaurandum, cui libenter id negotij damus. Denicq; nondum illa omnia sunt demonstrata apud Riberam, quomodo tum hæc gloria verè sit hujus domus secundæ ac posterioris, ut dicit propheta, ac non potius tertiæ ac postremæ, si verum dicit Jesuita. Ubi poteram plura, sed cui bono talibus inhærere, quæ ignorantur sine damno?

Ad Christum homines deducunt prophetæ.

Ratio Riberæ invertitur.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 1.]

Fuit verbum Jehovæ] Quia Ecclesia nunc voluntatem Dei cognoscit in sacris literis, meritò ad eas attendit 2. Pet. 1, 19. Es. 8, 20. Luc. 16, 29. quandoquidem ut olim Deus varijs modis locutus est, sic tandem in fine seculorum locutus est nobis in filio suo ejusq; apostolis Hebr. 1, 1.

Scriptura attendenda.

Ex versu 2.]

Alloquere] Ex occasione, quâ permotos propheta ex man-

mandato Dei hanc concionem habuit, discimus, quod diabolus varios rationes semper excogitet, quibus Dei cultum remoretur, nunc vi per tyrannos, nunc technis & erroribus per hæreticos, dormientibus n. hominibus ille omnis generis inter triticum seminat Zizania Matt. 13, 25. quemadmodum in præcedenti & hoc capite pluribus demonstratur, quomodo ædificationi templi impedimenta objecerit plurima.

Diabolus variis modis pietatem impedit.

Ex versu 3.

Quis inter vos, qui viderit domum priorem? qualem nunc videtis, nonne ad illam tanquam nihil est? Ecclesia (cujus tẽplum Jerosolymitanum fuit typus quidam) in his terris est quasi nihil ad illam gloriam, quæ in cœlis olim est secutura, & à Christo vere pacificatore nostro parta 1. Cor. 13, 12. & 15, 28. 1. Joh. 3, 2. quemadmodum variis rebus in his terris longe optimis adumbratur Apoc. 21. & 22. capitibus.

Major gloria erit in cœlis.

Ex versu 4.

Attamen nunc confirmare Etsi non semper eventq; nostris votis respondet, tamen ne propterea vocationem deseramus, sed sedulò pergamus, sperantes non fore laborẽ nostrum inanem in Domino 1. Cor. 15, 58. inprimis verò in pietatis cursu ne delassemur aut subsistamus Luc. 18, 1. & 17, 31. 32. & 9, 62. sed juxta Pauli monitum 1. Cor. 9, 24. & exemplum Phil. 3, 14. 2. Tim. 4. 7. ita curramus, ut ad metam optatam perveniamus, reportantes finem fidei nostræ salutem animarum 1 Petr. 1, 8. Proinde in calamitatibus ne desperemq, Rom. 5, 2. 3. 4. quippe non dignis, quæ conferantur cũ gloria revelandâ in nobis Rom. 8, 18. cum hæc oppressio nostra momentanea & levis excellenter

Ne delassemur malis.

Quum restet præmium,

excellentis gloriæ pondus, quod æternum est, in nobis efficiat 2. Cor. 4, 17. si modo fide validi fiamus ex imbecillis Hebr. 11, 34. quod quomodo fieri debeat, ostendit Paulus Eph. 6, 10. 11. Deo igitur uni est firmiter confidendum, cum de ejus voluntate constat, etiamsi rationi varia obstare videntur impedimenta, quoniam hæc ille vult & potest removere Ps. 37, 3. 4. 5. & 27. 14. & 139, 5. 6.

Et solatiũ, Deum adesse suis.

II. *Sum enim vobiscum.*] Unum hoc omnibus pijs efficacissimum adversus omnes calamitates restat solatium, quod Deus sit cum illis in omnibus malis Esa. 43, 1. 2. 3. ut promisit veraciter Psal. 91, 15. & sæpe præstitit efficaciter, Mosi Exod. 4, 12. filiis Israel Exod. 14, 13. Num. 14, 9. Davidi Psal. 118, 6. sociis Danielis Dan. 3, 17. 28. Paulo Actor. 23, 11. Quia autem Deum habentem omnia possidet, quid ipsi deesset? Ps. 73, 25. 26. sicut & Paulus justificatos in Deo gloriari docuit Rom. 8, 31. 32 hic n. non relinquet suos unquam orphanos Joh. 14, 18. sed aderit ipsis Matth. 28, 20. & in cordibus piorum cruci subjectorum acclamat per spiritum sanctum, ut olim Constantino Magno, In hoc vinces Car. Chron. lib. 3. Rom. 8, 15. 16. 26, 26. 37.

Ex versu 5.]

Christus mediator.

I. *Cum VERBO.*] Deus per Christum non placatus est ignis consumens Deut. 4, 24. per Christum a. reconciliat9 est noster pater 2. Cor. 5, 19. 20. Joh. 20, 17. qui Christus factus mediator, 1. Tim. 2, 5. cũ aliis de causis (quos nunc prætereo) tum etiam propterea vocatur λόγος & verbum, quod & patris cœlestis verbum ad nos detulerit cælitùs, tam per prophetas, & alios modos seu media, quibus variis olim usus est, quàm immediatè in V. T. loquens cum

λόγος.

patri-

patribus ἄσαρκος, & in N.T. explicans Dei patris de nobis salvandis voluntatem ἔνσαρκος Heb. 1, 1. Joh. 1, 18. & semper piorum verbum seu preces vicissim deferat ad patrẽ suum intercedens pro nobis ut fidelis noster advocatus 1. Joh. 2, 1. qui est angelus ille, qui offert suffitus cum precibus sanctorum omnium Apoc. 8, 3. & quum nostri tumices coram Deo fœtent, putruerunt & contabuerunt Ps. 38, 6. Christus se offert Deo patri oblationem & victimam in odorem bonæ fragrantiæ Eph. 5, 2. qui est illi verus Benjamin, hoc est, si nomen interpreteris, filius dextræ, regi regum nos reddens acceptos. Confer Gen. 42, 20. 34. & 43, 3. Rom. 8. 34.

II. *Quo pepigeram.*] Per Christum Deus fœdus nobiscum inijt, se fore Deum nostrum Gen. 17, 4. siquidem Christus est ille, quem potissimum respiciebat circumcisio, & de multiplicatione seminis promissio v. 6. 7. 8. & per cujꝰ verbum ac Sacramenta circumciditur cor Deut. 30, 6. Col. 2, 11. disponitur opus nostrum in veritate, & fœdꝰ perpetuũ pangitur nobiscum Es. 61, 8. Hos. 2, 18. 19. 20. Quænam verò in hoc fœdere per Christum nobiscum inito promittantur, paucis indicatur, Es. 59, 21. Ezech. 37, 26. Jer. 31, 31. 32. & 33, 20. 21. Illud autem non omittendum, quod hujus pacti & fœderis, ejusq́ bonorum tantùm fiant participes illi, qui ex hujus mundi Ægypto tenebrosa egrediuntur, h. e. peccatis renunciant & piè vivunt Apoc. 11, 8. & 18, 4.

Christus in fœdere comprehensus.

III. *Et spiritu meo stante in vobis.*] Spiritus S. dona non tantùm dantur hominibus, sed & ipse habitat in corde credentium, ut persona, seu, nõ modò effectivè est in sanctis, sed etiam quod ad substantiam, quod contra quosdã errones notandum, de quibus Lombardus lib. 1 distin. 14. lit. C. & D. Chemnitius part. 1. L. C. L. 3. cap. 4. memb. 6.

Spiritus S. ipse datur credentibus.

Stare

Stare quo modo dicatur.

Stare verò cum hic dicitur Spiritus S. nec id sua caret emphasi, nempe notantur, quod & ille stet in conspectu Dei intercedens pro nobis Rom. 8, 26. & stare pios homines sub cruce faciat, ne succumbant. Roman. 5, 2. 5 Phil. 1, 27. quemadmodum eandem ob causam, & quod ad juvandum promptus sit Christ9, stare dicitur Zach. 1, 8. Act. 7, 55.

Ex versu 6.]

Diuturnũ Deo non est diurnum.

I. *Adhuc semel parum illud modicum.*] Quod nobis videtur diuturnum, Deo revera est modicũ, quando scriptura nobis condescendens de eo loquitur, ac si esset sub tempore Esa. 54, 7. 8. & 27, 1. Ps. 30, 6. 2. Cor. 4, 17. Joh. 16, 15. Ps. 135, 14. nam respectu æternitatis, quam De9 inhabitat, et jam vita longa vix momentum est Ps. 90, 4. Soletur nos illud qui nunc dolorem quidẽ habemus, quia paulò post illud nobis obtinget gaudium, quod nunquam à nobis tolletur Joh. 16, 22. Si n. coram Domino mille anni sunt quasi dies un9, 2. Pet. 3, 8. cogita saltem, quàm exigua temporis in hac proportione futura sit particula, quæ nobis longus ejus videtur tractus Sir. 18, 8. ut quum est Joseph tres annos in carcere Gen. 41, 1. David septennium in exilio 1 Sam. 1. c. 17. usq; ad finem libri. Æneas octo annos paralysi afflictus act 9, 33. mulier 12. annos laborans profluvio sanguinis Matth. 9, 20. alia fœmina octodecim annos incurva Luc. 13, 11. vir triginta octo annos ægrotans Joh. 5, 5. Judæi quadraginta annos in deserto vagantes Num. 14, 33. & septuaginta annos in captivitate Babylonicâ detenti Jerem. 25, 12. Jacob centum & triginta annos cum malis conflictans Gen. 47, 9.

Exempla diu afflictorum.

II. *Commoturus sum cœlos.*] Ut Deus suos juvet, etiam ipsos cœlos, & quæcunq; sunt in mundo, commovet Ps. 18, 8. &c. confer quæ habentur Sap. 5, 17, 18, 19. &c.

Ex

Ex versu 7.]

I. *Commoturus sum gentes*] Ecclesiæ propagatio & cõservatio est solius Dei opus Ps. 2, 6 & 110, 2. Es. 32, 1. & 35, 1. ad quam in N. T. etiam gentes omnino pertinent & accedunt Eph. 2, 12. ut suprà aliquoties est declaratum. *Ecclesiam Deus conservat.*

II. *Desiderium omnium gentium*] Christus est revera ille, quem voluerunt videre reges in V. T. Luc. 10, 24. & qui expectandꝰ fuerat Matt. 11. 3. quem cum desiderio maximo expetit Jac. Gen. 49, 18. cùm sit multò pulchrior filiis hominum Ps. 45, 3. Neq; hîc obstat, quod paucæ gentes Christum desideraverint, cùm pleræq; cum ignoraverint, quia potest hoc etiam de Judæis intelligi, qui illa promissione Abrahæ factâ comprehenduntur, In tuo semine benedicentur omnes gentes; vel dici potest, prophetam loqui de jure, quod sit is, qui si rectè nosceretur, ab omnibus maximè appeteretur. objectio autem dicit de facto. Quando a. Christus dicitur desiderium, monemur, quid maximè sit desiderandum, nempe Christus cum suis bonis, ut quotidie cum Ecclesia suspiremus ex Cantico Canticorum: veni, trahe me post te. Sed vide mundum, qui desiderat divitias, honores, voluptates. *Christus desideratus.* *Obj. R.*

III. *Impleturꝰ domũ hanc gloriâ*] Gloria, de quâ loquitur propheta, per Christũ desiderium illud verum & salutare gentium, Judæis obtigit, & quia hic in secundo templo venire debuit, jampridem eum venisse, contra Judæos certissimè vel hoc solo argumento evincimus, quoniam illud per Titum devastatũ perijt. Syllogismo majoris evidentiæ gratia rem proponemꝰ: Ante excidiũ templi secundi, quod digito cõmonstrabat Haggæꝰ, venire Christus debuit, Hag. 2, 8, 10. Mal. 3, 1. Sed jam ab annis 1580. nõ *Christus venit.*

est ante exidium templi secundi. E. Majoris Connexio probatur ex hoc ipso textu, quia in ipso templo secundo se manifestaturus & gloriâ illud impleturus erat. Minor ex historiâ Josephi & aliorum notissima est, nec ab ipsis Judæis negari potest, qui quod olim hoc dictum de Messia interpretati sint ex scriptis ipsorum probavit *Dn. D. Helvicus*, epelencho Judaico secundo, quem vide.

Ex versu 8.]

Divitia sunt Dei.

Meum est argentum] Dei, qui creavit omnia ex nihilo; sunt omnes hujo mūdi thesauri ac divitiæ 1. Chron. 29, 11. 12. & ille dat, cui vult, ex sua manu Gen. 31, 9. Prov. 10, 22. & 22, 2. Ps. 145, 15. 16. suis verò, ne animum apponant Ps. 62, 11. aut à regno cœlorum abducantur nimiâ earum curâ Luc. 8, 14. Matth. 6, 24. (siquidem propter humanam infirmitatem, quæ potiùs ijs, quæ videntur, quàm quæ non videntur & creduntur, nititur, divites difficulter salvantur Matth. 19, 23. Marc. 10, 23. 24. Luc. 18, 24.) tantum dat demensum Prov. 30, 8. quantum ijs sufficit ad victum & amictum 1. Tim. 6, 8. quo & illi acquiescunt v. 6. 8. cùm sciant, quod tamen Deus sibi reliquerit defendendum populum pauperem & egenum, qui se recipit ad ejus nomen Soph. 3, 12.

Et à Deo dispensantur.

Ex versu 9.]

Gloria ventura.

1. *Major est futura gloria domus hujus*] Nulla major corā Deo angelisq́ sanctis potest esse gloria, quàm gratiosa regis gloriæ præsentia Ps. 24, 7. 8. & benè illis, quibus iste favebit, cùm venerit olim in sua gloria Matth. 25, 31. quia & hujus regis æternam videbunt gloriam Ioh. 17, 24. & tantā habebunt ipsi, quantam nulla lingua profari potest 2. Cor. 4, 17. 1. Cor. 15, 40. quàm cū pij recogitant, etiam in medijs malis gloriantur Rom. 5, 2. Si n. beati prædicantur

servi

servi Salomonis, quod audiverint ejus sapientiam 1. Reg. 10, 8. multo, imo infinitis modis beatiores erunt, qui Deum videbunt à facie ad faciem 1. Cor. 13, 12. 1. Joh. 3, 2. & cum Christo erunt jugiter 1. Thess. 4, 17.

II. *Nam in loco hoc disponam pacem*] Pax vera & solida tantùm est in Deo Ps. 62. Joh. 16, 33. eamq; tum demum consequimur, quando domum Dei sedulò frequentamq; Ps. 73, 17. 28. & 131, 2. 3. & 122, 1, 6. 7. 8. quia pax multa est diligentibus legem Domini, nec est illis offendiculum, puta quod pacem illam interturbet Psal. 119. 165. Contrà verò improbis nulla est pax Esa. 48, 22. & 57, 21. 25. & 59, 8. quod alibi ostensum latiùs.

Pax vera piis.

PARS SECUNDA.

Vers. 10.]Nunc ad sequentia pergimus, in quibus habetur summa concionis quartæ ab Haggæo habitæ, cujus hoc est exordium solenne. *Vigesimo quarto* die, *noni* mensis (ita enim ex superioribus, aliisq; locis pluribus, concisaq; loquendi Hebræorum consuetudine ellipses duæ substantivorum supplendæ sunt Buxt. thesaur. p. 315 *Anno secundo Darij, fuit verbum Jehovæ per Haggæum prophetam dicendo* vid. sup. c. 1. v. 1. Occasionẽ autem huic sermoni habendo præbuit mala Judæorum de externâ sanctitate animo concepta opinio, quam similitudine à rebus sacris & in lege explicatis sumpta Haggæus refutat, ut ostendat Judæorum sacrificia, quæ hactenus negligentes templi instaurationem offerebant, Deo non placere, sed polluta esse, Deoq; non probari, quum homines illi non placeant Deo propter inobedientiam.

Ellipsis duorum substantivorum.

Occasio duorum typorum.

Vers. 11]Et quia sacerdotum erat & de lege consulentibus respondere; Lev. 10, 10. 11. Deut. 33, 10. & vitia ac erro-

res auditorum reprehendere, idq; factum non erat, illis potissimùm duos hujus rei typos ex lege vult Deus proponi, ut inde ipsi cum alijs erudiantur. *Sic ait Jehova* Dominus *exercituum, interroga jam sacerdotes de lege dicendo.* Ubi obiter, præter solitũ, libet perstringere Bellarminũ, ejusq; indicare insciti am dicam an malitiam? qui lib. 3. de verbo Dei cap. 4. (mihi) p. 219. ex hoc dicto vult probare, planè non esse privatorum hominum, judicare de sententia legis Domini, cum judex veri sensus scripturæ & omnium controversiarum sit Ecclesia, i.e. Pontifex cum Concilio, ipso ibidem interprete: Annon n. videt Jesuita, quod hi sacerdotes à propheta consulendi reprehendantur, negligentiæ in officio accusentur, nec fuerint concilium, neq; ex suo ingenio interpretationes fingere debuerint, sed simpliciter ad legem seu scripturam alligati fuerint, ut de lege consulentibus secundum hanc in rebꝰ dubijs responderent. quæ verò hæc est consequentia? in rebus dubijs, in V. T. præsertim ceremonialibꝰ, consulẽdi erant sacerdotes, qui ex verbo Dei revelato cogebantur responsa dare. Ergò in dictis scripturæ clarissimis omnibus, semper, etiam in N. T. ille tantùm sensus eorum genuinus erit, quem solus Papa cum Concilio præter & cõtra scripturam plerumq; fingit? Item, hi sacerdotes negligẽtiæ in officio rei peragũtur, cum ipsis quæstio hæc præsens à propheta proponitur. E. Papæ Romani cũ Concilio hîc stabilitur autoritas? nihilo n. magis hæc pertinent ad Papam, quam iste ad sacerdotes V. T. & multis modis vitiosa est hæc collectio, quod nunc indice digito indicare mihi sufficit, qui controversias in Commentariis nõ libens tracto, & dictorum obscuriorum (nam clariora ad salutem scitu necessaria ipsi, si volunt, facilè intelligunt)

Bellarmini corruptio hujus loci detegitur.

gunt) sensum laicis à verbi divini ministris, ejusq; veris interpretibus omninò petendum esse libens admitto, qui tamen non sunt propterea Papa & Concilium.

Typorum horum Summa.

Vers. 12.] Sed redeamus ad textum, in quo jam porrò typi duo proponuntur, prior hoc v. 12. cujus summa est & scopus, hominem ex contactu rei sacræ non trahere sanctitatem illam. Posterior v. 13. cujus summa: si homo immundus sit, tantum abfore, ut sanctitatem ex attactu rei sacræ percipiat, ut contrà rem sanctam ipse impuraturus sit. Si a. habent verba textus: *En, tulerit aliquis carnem sanctam* ex aliquâ victimâ, quæ Deo immolata & jam consecrata est, *in alâ vestis suæ*, in orâ aut laciniâ vestimenti involutam gestet, quam ipsi à victimâ abscissam licet comedere, *si tetigerit* illâ suffarcinatâ alâ suâ *panem aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut ullum cibum, an sanctificabitur ipse* homo ex gestatione & cõtactu isto rei sanctæ, & num per eum etiam porrò sanctificabitur res alia, quam tetigerit? *cui respondentes sacerdotes dixerunt, non*, quia vestis quidem sanctificatur, juxta illud Levit. 6, 11. 20. non autem vestis fartum seu corpus, aliavè res prophana. Nam ut nudus contactus sanctificare hominem non potest, ita multò minus sequitur aliqua sanctificatio, si quod involucrum sit, quod contactum immediatum prohibeat vel impediat.

Carnem sanctam gestans

Non sanctificat, quæ tangit.

Immundo polluit, quæ tangit.

Vers. 13.] *Deinde dixit Haggæus: si tetigerit immundus ex cadavere quicquam istorum*, de quibus v. 12. panis nempe, pulmenti, vini, olei, cibi, *ecqne immundum erit illud*, quod tetigit? *cui respondentes sacerdotes dixerunt, immundum erit*, quia ipse immundus expressè, quæ tangit, in lege polluere dicitur, & à sacrorũ communione arcetur, donec legali expiatione mundatus fuerit. Inspice Levit. 11, 24. & seqq. & 15, 4. &c.

15,4.&c. Num.9,10.& 19,11.13. &c. adeo verum est, quod nihil inanimum (quales sunt ritus externi & templum etjam) verè sanctificet animatum hominem, ut contrà ipsi, pollutus animus polluat omnia, ideoq; (sequitur n. in textu similitudinis & typorum hactenus declaratorum applicatio) nullam sanctitatem ex altari sancto, aut reb9 Deo sanctificatis, quippe inanimatis, Judæi animati & rationales creaturæ percipient, quia impuri sunt animis, & impurant ipsi reliqua omnia, non secus ac illi, qui ex cadavere impuritatem contraxerunt. Num.5,2. & ex cœtu reliquorum corã Deo apparentium erant removendi.

Vers. 14. *Respondens Haggæus dixit* in personâ legantis Dei, *Ita populus iste, & ita gens ista coram me*, hacten9 meum mandatum de ædificando templo datum negligens, & sacrificia nihilominus offerens, *dictum Jehovæ*, quia per inobedientiam suam erant polluti, ac â cultu Dei vero alieni qui est in animo, Deo se dedenti, & qui solus immunditiem expiare potest, & proinde hi mente impuri nullam ex sacris suis sanctificationem percipiebant, sed potius illâ suo contactu polluebant, *& ita totum opus manuum istorum, imò quod obtulerunt ibi*, in altari Jehovæ, quod jampridem exstruxerant Esd. 3, 2. *immundum fuit*, quomodo aliàs ab impijs non ritè, puta sine fide, oblata Deus reprehendit sacrificia, quæ aliàs severè mandaverat, qua de re vide quæ dicta sunt Amos 5,21.22.23. Quæ omnia propterea dicit propheta, ut depositâ inani sacrorum fiduciâ animi puritatem sectentur, & cultum Deo exhibeant spiritualem, quo solo placari potest in Christo.

Sacrificia sine fide non placent Deo.

Vers. 15.] Ne verò hinc novam cunctandi occasionem Judæi arriperent, ut qui frustra in tẽplo ædificando sumptus

ptus essent facturi, operamq; suam inaniter collocaturi, si nulla ex sacris externis ad ipsos redundet utilitas, redit propheta ad institutum, & hortatur, ut templum ædificent, cùm Deus id mandet, & non propterea desistant à cœpto opere, inprimis quia Deus id velit promoveri, in quo colatur, illudq; studium omni benedictionum (quas hactenus averterunt inobedientes) genere remuneraturus sit, ut ita suam hortationem confirmet propheta ab administratione judiciorum Dei, & eventu ipso, ut sup. c. 1. v. 5. 6. quod ut meliùs animadvertatur, proponitur per antithesin. Hactenus neglectâ templi exstructione à Deo estis puniti, nunc verò opq; aggressi benedictionem Dei sentitis. Idcircò quicquid retrò gestum est, mente complectimini, ut scientes causam infelicitatis, quæ vos hactenus pressit & vexavit, sciatis quoq; causam prosperitatis, quæ vos deinceps beabit, ut ita collatione superiorum calamitatum, quæ cessantibus fuerant immissæ & præsentium futurarumq; benedictionum, quæ operantibus sunt promissæ & exhibitæ, strenuè pergatis ac non deficiatis. *Nunc igitur adhibete animum vestrum ab hoc die ad eos* sursum in memoriam regrediendo, *qui præcesserunt ex quo nondum impositus fuit lapis lapidi in templo Jehovæ*, tum semper vestra vos fefellit opinio, spem mentita seges, voto haud respondit avari agricolæ.

Negligentes puniuntur, diligentes juvantur.

Vers. 16. Ad summam: maledictionem pro speratâ benedictione ubiq; reportastis, *ex quo sunt dies illi, si quis venit ad acervum vicenûm* modiorum, *is* demum saltem *est* dimidiâ sui parte imminutus. *Si quis venit ad lacum sub torculari* eâ spe, *ut exhauriat quinquagenas mensuras, vicenarum* tantùm *est*, & ultra dimidium spem factam frustratur. Ubi Lutheri versio valde perspicua, Wen einer zum Kornhauffen kam/

Maledicto & penuria,

kam/ der zwentzig Maß oder Scheffel haben solt/ so waren kaum zehen da/ kam er zur Kelter vnd meinet/ funfftzig Eimer zu schöpffen/ so waren kaum zwentzig da.

Malis afflicti non agunt pœnitentiam

Vers. 17.] Præterea eandem propter inobedientiam vestram, quæ causa & fons pœnarum, *percussi vos uredine & rubigine, ac grandine totum opus manuum vestrarum* perdidi *& nullus apud vos ad me* reversus per pœnitentiam, *dictum Jehovæ.* Confer suprâ c. 1, 11. & præcipuè Amos 4, 6. 7. 8. 9. ubi hæc explicantur prolixiùs.

Sedulis in pietate Deus benedicit.

Vers. 18.] Hæc fuerunt hactenus tempora calamitosa ante resumptum ædificationis opus: Jam animo perpendite, quomodo jam vobiscum ædificantib9 agatur. Et ne quis dicat, quis novit, num simus deinceps habituri meliùs, en promissionem lætam nomine Dei vobis subjicio. *Adhibite jam animum vestrum à die hoc, ad eos, qui præcesserunt, à die vigesimo quarto mensis noni, inde à die, quo fundatum fuerat templum Jehovæ, adhibete,* inquam, *animum vestrum* & diligentius hæc perpendite.

Vers. 19.] *An adhuc semen,* quod fuit *in granario, adeoq́ vitis & ficus & malus punica & olea non protulit?* nondum videtis, quomodo propter cœptum templi op9 promissionem divinam de benedictione in res omnes Deus compleat, qui hæc vobis dicit, & sic porrò pergit, *certè ab hoc ipso die illis omnibus benedicturus,* copiaq́ rerũ omnium vos sum beaturus. Lutheri versio hîc iterum adeò dilucida, ut vice commentarij esse queat. Der Same ligt noch in der Scheuren/ vnd tregt noch nichts/ weder Weinstöcke/ Feygenbäume/ Granatbäume/ noch Ölebäume/ Aber von diesem tage an wil ich segen gebẽ. Tantùm interest, quod omnia de futuro explicet, quorum pars prior de præterito & præsenti

videtur

videtur esse intelligenda, ubi fruatur quisq; suo judicio, mihi feciſſe indicium, ſufficit, præcipuè ubi non ita multùm intereſt, utro modo explices. *Quomodo probentur*

LOCI COMMUNES.

Ex verſu 10.]

Quod Deus Prophetæ, & hic populo ſæpe loquitur de re eadem, monet, non dedecere verbi miniſtrum eadem de ijſdem ſæpe repetere, ut tantò meliùs infingantur memoriæ Phil. 3, 1. Hebr. 2, 1. *Eadem de ijſdem.*

Ex verſu 11.]

Interroga jam ſacerdotes de lege.] Verbi miniſtros & Theologiæ profeſſores oportet ſcire legem, ut conſulentibus de ea reſpondere rectè queant: eam a. ſi ignorant, ſeipſos minùs idoneos ad tam arduum munus eſſe demonſtrant Tit. 1, 9. Confer ea, quæ dicta ſunt Soph. 3, 4. L. C. 2. *Oportet ſcire legẽ, qui de lege volunt reſpondere.*

Ex verſu 12.]

1. *En tulerit aliquis carnem ſanctam &c.*] Nulla opera Ceremonialia placent Deo ſine moralibus, veraque animi pietate Eſ. 29, 13. Matth. 15, 8. 9. quod hodie etiamnum inter nos in tanta Evangelij luce velut noctuæ de die cæcutientes ignorant, qui ſine verâ cordis devotione, veroq; Dei timore nomen Dei habent crebrò in ore, manus complicant, crucis ſignum fingunt ac in aere pingunt, genua flectunt, caput in templis aperiunt, ad ſacram σύναξιν ſine ullâ fide aut propoſito emendandi vitam accedunt &c. quæ omnia (attende, qui ſoles talia detorquere, & neſcio cujus ſectæ dicentem inſimulare) quando ſunt internæ ac veræ pietatis externa indicia ut merentur coram Deo & hominibus piis laudem, quod contra Calvinianos notandum, ita cum ſunt NUDÆ & *Externè ritus ſine fide nil proſunt.*

DÆ & à pietate vera alienæ Ceremoniæ, Deo & verè pijs ob hypocrisin sunt exosæ, quod contra Pontificios & nonnullos alios, apud nos quoq́, papizantes hactenus, observandum est. Quæ enim esse potest crucis evanidæ (quando abest vera fides in crucifixum) in corpore efficacia, ubi nulla in corde Dei memoria? ea autem in illis nulla est, qui mala opera multa faciunt, nec carnem suam cum affectibus & concupiscentijs volunt crucifigere Gal. 5, 24. quid prodest capitis ad nomen Jesu apertio, ubi nulla precantis vel concionem auscultantis erga ipsum Christum devotio? quæ certè nulla est in iis, qui sunt in impiorum consortio, id quod flagitiorum arguit multitudo. Et sic de ceteris. Dicis, multi tamen hodie apud nos quoq́ etiam in hominibus dissolute viventibus hæc probant? dicet hic propheta, non, nisi isti qui cum ignarissimis juxta verum sciunt, & Matth. 15, 14. sunt cœci cœcorũ duces, de his ipsis rebus rogat9 ait ille, qui est ipsa veritas cum quo meritò hîc talib9 acclame: ô pharisæe cœce, purga primùm, quod est intra, ut id quoq́ quod extra est, purum fiat Matth. 23, 26. Non n. omnes, qui rem sanctam tangunt, sancti fiunt, sed qui sancte & rectè: at qui indignè (ut de nostris sacris, in quibus etiam sæpe peccatur, dicam) corpus Christi manducat, aut sanguinem ejus indignè bibit, crimen læsæ majestatis divinæ, vel Paulo teste, committit 1. Corinth. 11, 29. Tandem.

Crux sine memoria crucifixi.

Capitis apertio sine devotione

Non omnes sancti, qui calcant limina templi.

Candor decet Theologos.

II. *Respondentes sacerdotes dixerunt, Non.*] Quando hi sacerdotes simpliciter per ITA & NON, respondent, docemur, candorem eos vel maximè decere, qui sacra tractant, & non convenire illis, ut dicant malum bonum,

aut

aut animas esse victuras, quæ non victuræ sunt, de quo suprà. Sed etiam hoc notetur, quod benè possint, ac debeāt merito respondere, ubi casus propositus est in sacris expositus; aliàs meminerint illud salvatoris Luc. 12, 14. Quis me constituit judicem? aut illud, Matth. 22, 18. Quid me tentatis hypocritæ? *Ex versu 13.*]

Respondeant de iis quæ sunt in scriptura.

Si tetigerit immundus, immundum erit.] Quia Deus sanctus est, nil nisi sanctum & impollutum, vel sanguine Christi purgatum ei placet. Levit. 19, 2. 1. Tim. 1, 5. Hebr. 12, 14. 1. Petr. 1, 15. 16. 1. Joh. 1, 7. 1. Pet. 1, 19. Hebr. 9, 14. Apoc. 1, 5. 6.

Deo tantùm placent sancta.

Ex versu 14.]

Ita populus iste coram me.] Omnia sunt munda mundis pollutis autem & incredulis nihil est mundum, sed polluta est eorum & mens & conscientia Tit. 1, 15. quum sint abominandi & contumaces, & ad omne opus bonū rejectanei ibid. v. 16. quâ de causa etiam sacrificia â talibus oblata Deus rejicit, quæ ipse offerri mandavit. Vide Mich. 6, 6. 7.

Immundis omnia immunda.

Ex versu 15.]

Ab hoc die, ad eos, qui præcesserunt, quando nondum lapis &c.] Causa omnium pœnarum est inobedientia. Ut n. Deo legem servantibus benedictionem promisit, sic eandem nefariè violantibus pœnas minatus est gravissimas Lev. 26. Deut. 28. capp. quæ diligenter inculcanda sunt, ut malis afflicti cogitemus, non esse malum in civitate, quod non fecerit Dominus Amos 3, 6. ad quem si verâ pœnitentia nos convérterimus, pœnitet eum mali, quod cogitaverat porrò nobis facere Jerem. 18, 7. 8.

Ob inobedientiam Deus punit.

Ex versu 16.]

Si quis venit ad acervum &c. Fames, rerumq; ad victum necessariarum penuria est una ex publicis calamitatibus

Fames est publica pœna.

à Deo propter peccata publicè grassantia immissis Ezech. 5,12. & 14,13. Conf. superiùs dicta in c. 1. v. 5 & 6. Amos 4,6.

Ex versu 17.]

Nullus apud vos ad me reversus est &c.] Quando homines nec calamitatibus velut realibus ire Dei concionibus excitantur ad pœnitentiam, Deus de illorum obstinata malitia graviter conqueritur Amos 4. in fine versus 6.7.8.9. 10. propterea enim immittuntur, ut in nos descendentes agamus pœnitentiam vide Jerem. 31, 18. 19. Hos. 6, 1. 2. Mich. 7, 9. Hos. 2, 6. 7. 2. Chron. 7, 14. Sap. 12, 2. Plura similia dicta (ipsum enim ejus errorem, quem ibi probare conatur, nostrum non facimus) vide apud Bellarm. lib. 2. de pœnit. c. 8. (mihi) pag. 168. 169.

Deus conqueritur homines pœnis non corrigi.

Ex versu 18.]

Qui loci hic observari poterant, suprà aliquoties sunt explicati, & hîc tantùm ἐπιμέτρῳ loco annectetur, verum esse, quod Paulus scribit, 1. Tim. 4, 8. Pietas habet promissiones hujus & futuræ vitæ.

Pietas utilis.

Ex versu 19.]

Ab hoc die benedicturus sum.] Terræ fœcunditas, solius Dei donum est, qui parat frumentum, & coronat annum bonitatis suæ Psal. 65, 10. 11. 12. 13. 14. dat frumentum, mustum, oleum, exaudit cœlos ut ipsi exaudiant terram, Hos. 2, 8. 21. 22.

Deus facit terram fertilem.

TERTIA PARS.

Vers. 20] Hactenus propheta ad pleraq; quæ Judæis ædificantibus objici poterant de remoris atq; obstaculis opus impedituris, respondit: unum adhuc restabat, quod piorum mentes non segniores modo reddere poterat, sed & terrorem ac metum fortissimis incutere, horrendi nimi-

nimirum bellorum motus hinc inde excitati & excitandi, inter quos Ecclesiam posse salvam consistere, videbatur esse ἐκ πάντ ἀδυνάτον. Huic quoq; inani terriculamento occurrit Deus per prophetam, singulari quadam concione, in quâ suos se defensurum pollicetur, & futurum Judæorum ac gentium statum in Ecclesia explicat, ut hujus conditionem in Christo felicem perpetuò fore pij inde colligant. Superiori concione absolutâ eodem die *fuit verbum Jehovæ secundò ad Haggæum*, eodem, inquam, *vigesimo quarto* die, mensis *noni* sup. v. 10. sic allocutus est prophetam Jehova, *dicendo*:

Bellorum motus.

Christus sedat.

Vers. 21.] *Alloquere* nunc peculiariter *Zerubbabelem ducem Jehudæ, dicendo*, illum magistrum & eductorem populi ex captivitate Babylonicâ (ut nomẽ ipsum, interpretante Hieronymo & alijs, indicat, compositũ ex זְרַע בָּבֶל ille est Magister Babyloniæ) quicq; propterea Christi eductoris ex captivitate Diabolicâ typum gerit optimum, & ut ille fuit dux Jehudæ, sic Christus dux seu potius rex Ecclesiæ, quæ est spiritualium Judæorum, hoc est, confessorum ejus verorum, qui & ipse fuit de tribu Juda oriũdus Hebr. 7, 14. illum Zerubbabelem alloquere, his verbis contra illam tentationem de bellorum motibus firmato & consolare: *Ego* Duus tuus certissimè *commoturus sum cœlos & terram*, Messiamq; meum mundo promissum suo tempore exhibiturus supra v. 6. 7. qui erit rex Ecclesiæ æternus, eamq; contra omnes hostes fortiter defendet.

Zerubbabel quid notet.

Christus rex Iudæorum.

Vers. 22.] Quod cùm ita sit, quid metuitis, ne gentes vobis infensæ hoc opus impediant, aut vos planè pessundent: non ita, potiùs ipsæ (si non convertantur) à me evertentur; *subversurus sum solium regnorum*, tum ante

Regna alia evertit,

Christum natum monarchiarum Persicæ, Græcæq; potentiam frangam, easq; tollam, tum post eum aliorum regum solia evertam & præcipuè spiritualiter subjectam reddam omnem potestatem mundanam hominum per Evangelium & spiritum oris Christi conversorum 2. Cor. 10, 5. 2. Thess. 2, 8. cujus prophetiæ ut demonstret certitudinem, idem aliquoties alijs verbis sic repetit: *perditurus sum firmitatem regnorum ipsarum gentium, subversurus sum currus & sessores ejus* miraculo maximo, ut se invicem conficiant, *ruentibus* & concidentibus *equis & sessoribus eorum unoquoq; per gladium fratris sui* seu proximi, ut quondam factum legimus tempore Gideonis Jud. 7, 22.

unum per alterum.

Vers. 23.] Interea autem dum reliqui tumultuantur, & quotquot Ecclesiæ aggregari, Christoq; se subjicere nolunt, pereunt, Deus regimen Ecclesiæ confirmabit, quia *die illo, dictum Jehovæ* domini *exercituum, assumam te, ô Zerubbabel* adumbrate, *fili Schealthielis*, te ô Christe, fili Davidis & Zerubbabelis, qui te in suis lumbis quodammodo habuerunt Heb. 7, 9. & ex quorum prosapiâ descendis Matth. 1, 6. 12. 13. quiq; ex revera filius Schealthielis, is videlicet, quem pijs à Deo omnibus precibus ac votis expetiverunt, te assumam, *serve mi*, dilectissime mihi Esa. 42, 1. & 53, 1. Phil. 2, 7 *dictum Jehovæ* Dei patris, tuq; filius meus dilectus Matth. 3, 17. semper mihi eris carissimus, *quia ponam te ut annulum*, quem quia radiat in digito, semper gestamus in oculis, memoriamq; ejus in animo, ac nunquam ejus oblivisci possumus: sic ego tui, ô serve mi, cum summa benevolentia jugiter colam memoriam: neq; hoc tantum, siquidem illud tibi cum omnibus pijs est commune, sed & ponam te ut annulum *signatorium*, quem ut merito numeramus inter res cari-

Christus,

servus Dei.

est ut annulus,

signatorius.

rissimas Cant. 7, 10. Jerem. 22, 24. Sir. 17, 22. & 49, 15. sic ego te amo ut meum peculium, qui es mea cura, meum cor, *quonium te elegi* Es. 43, 1. in te solo conquiesco Matth. 3, 17. te in Ecclesiæ regem unxi, te constitui, teq; in tuis membris ac corpore mystico protegam, *dictum Jehovæ*, domini *exercituum*, qui hanc promissione velut sigillo reliqua omnia superiùs promissa in Christo obsignat, ut huc omnia referri intelligamus. Neq; mirum hoc illi videbitur, (quod ita interpretemur) cui mos sacrarum literarum non est incognitus, hoc dici (inquam) Zerubbabili typo, & referri debere ad antitypum, Christum Jesum, quandoquidem talia multa in sacris literis reperiũtur exempla, ubi quædam promissa majoribus completa saltem sunt in posteris, præcipuè autem in & per Christũ, in quo omnes promissiones sunt certæ & Amen 2. Cor. 1, 20. Vide Gen. 12, 3. & 27, 31. & 49, 10. 2. Sam. 7, 12. &c. Es. 31, 8. Hos. 11, 1. Ps. 72. &c.

Mos scripturæ,

promissa majoribus dantur posteris.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 20.]

Fuit verbum Jehovæ secundò vigesimo quarto die.] Quia sanctus hic propheta duas conciones uno die habuit, commodissimus hîc dicendi locus est contra quosdam, etiam nostri temporis in templis & scholis, præsertim regiis, docentes mercenarios (quosdam dico, ut seduli, qui sunt per Dei gratiam multi, nihil quicquam hoc ad se, vel ad ordinem totum pertinere intelligant) qui in ministerio suo amplos honores, divitias magnas, &, quod adhuc est turpius, voluptates multas & diuturnas TANTUM spectant unicè, ideoque omnia vocationis suæ munia rarò aut negligenter obeunt, præcipuè quidam pastores in pagis vel oppidis, ubi non est,

Quidam negligentes reprehenduntur,

est, qui eos observet aut reprehendat) vel ita administrant,

ut superare diu, & populari vescier aurâ,
delicijsq; frui, divitiisq; queant,

immemores voti, quod Deo & toti suo gregi fecerunt, quum istud officium susceperunt. Quis enim est adeo demens, ut sibi persuaderi patiatur, eos, quinam labores ipsis sint exantlandi, fugere, cùm reditus suæ professionis aut parochiæ sollicitis computare articulis vel longè antè exactè sciant? hosq; cum valdè rigidè ab omnibus exigunt, nec quicquam remittunt, sibi solis hanc permittunt licentiam, suorum laborum pensum non absolvere, illosq; sibi subeundos esse quum nôrint, turpiter postea detrectant, & si non ore proferunt (quod tamen quandoq; audias) saltem in corde rationem hanc ineunt: amicos, quos visitem, habeo, hortus est, quem colam, agrum emi, uxorem duxi, quæ ut curare rectè possim, istas omnes officij partes jam statim in initio hujus mei muneris, cùm etiam mundi hujus degustandæ sunt cupediæ, cùm tempus anni ipsum me invitet ut expatier, & mihi benè esse patiar &c. subire nequeo: quando jam divitias congessi, uxorem aliquot liberorum matrem feci, ubiq; hujus mundi deliciarum satias cœpit fieri, & jam veteranus sum, tum demum cano capite, labijs demissis manibus tremulis, corpore exsangui, exsucco & debili, mundo ejusq; deliciis mortuus vivam Deo, illiq; me meaque consecrabo omnia. Interea verò

Quod juniores fugiant labores.

dum melior vires sanguis dabit, æmula nec dum
temporibus geminis canebit sparsa senectus,

vacunæ litabo. in multam lucem dormiam, & strenua me exercebit inertia, quibus nil aliud est, quod agant, vel

qui

ges metuunt, auditores suos in pietate publicè & privatim sedulò erudiant, ego dulcedine rerum mundanarum captus per alios potius, saltem per ædituum, conciones habendas curabo, præcipuè quando duæ de die, aut plures diebus continuis festis erunt instituendæ. Egregij a. Dei servi & hujus nostri Prophetæ boni æmuli! qui quidem ut ipsi lucrentur aliquid, omnes ingenij nervos intendunt, ut verò Christo suo lucrifaciant animas morte & sanguine ejus redemptas, non admodum laborant imò rarò, aut nunquam cogitant. Audi verò ô bone, quisquis es. estne discipulus supra magistrum suum Matth. 10, 24. minister super Dominum? Joh. 13, 16. & 15, 20. Christus ipse pro concione docet populum per tres dies Marc. 8, 2. 3. Imò passurus quotidie docet in templo Luc. 19, 47. ut etjam aliàs Marc. 14, 49. Paulus producit sermonem in mediam noctem Act. 20, 7. docet publicè & privatim ibid. 20. Esdras per dies septem quotidiè concionem habet Nehem. 8, 5. 14. 19. & quidem ita, *ut legeret legem Dei explanatè, & exponendo sensum daret intelligentiam per scripturam ipsam* ibid. v. 9. & nunc quidam per unum diem duas Conciones habere, aut per tres dies festos labores continuare nolunt, verentes, ne statim exhalent, quam ita impiè trahunt, animam, quasi Deus, qui vitam dedit, sibi servientes sedulò, si vellet, in vitâ servare non posset. sed abrumpo hoc filum, quo, qui facit officium, nil constringitur. Breviter. quia sunt speculatores Ezech. 3, 2. semper sint in sua statione Hab. 2, 1. & vigilent Apoc. 3, 2. Heb. 13, 17. in omnibus 2. Tim. 4, 5. tanquam excubitores, Act. 20, 28. instent tempestivè & intempestivè 2. Timoth. 4, 2. quia sunt pastores, gregem pascant: quia sunt doctores, ipsi doceant; quia sunt spirituales agricolæ; hortum

Non imitantur Haggæum

nec Christum,

Paulum,

Esdram,

Ut deceat ratione officij.

tum & paradisum Dei colant: quia sunt milites Jesu Christi, sint tolerantes afflictionum & laborum, nec implicentur hujus vitæ negocijs, ut ei placeant, à quo delecti sunt milites 2 Tim. 2, 3. 4. Hæc autem omnia, ut sæpiùs dictum est, contra eos, qui peccant ex malitiâ, & supinâ negligentiâ, dicta sunt: nam qui sunt nævi infirmitatis, condonantur à Christianis, ne incusatur, quum quandoq; bonus dormitat Homerus.

Scimus, & hanc veniam petimusq; damusq; vicissim. Et quæ de malis non malo animo allata, quis in malam partem accipiet, nisi malus? Verum n. illud vulgatum:

Conscius ipse sibi, de se putat omnia dici.

Ex versu 21.]

Magistratus cultum Dei promoveat.

I. *Alloquere Zerubbabelem*] Ducis seu magistratus cujusvis præcipua cura in cultu Dei propagando sita esse debet Deut. 17, 18. Jos. 118. Esa. 49, 23. Ps. 2, 10. 11. & 24, 7. & 72, 10. 11 & 122, 3. 4. exemplo piorum regum Judæ & Israelis ac Imperatorum nonnullorum Romanorum.

Cœlum concussum

II. *Ego commoturus sum cœlos*] Deus incarnatus in cruce moriens (cujus hic Zerubbabel erat typus) varijs signis ac miraculis cœlum concussit Matth. 27, 45. 51. Suprà v. 6. & 7.

Ex versu 22.]

Magistratus Deum metuat:

Subversurus sum solium regnorum] Deus mutat regna, ergo potentes cum metuant, & esse ab hoc suam potestatem recognoscant Dan. 2, 21. Ps. 82. Joh. 19, 11. Rom. 13, 1. 2. ne, si fuerint in hunc dominum suum ingrati vasalli, detrahantur potentes de throno Ps. 2, 10. 11. 12. Luc. 1, 51. 52. cujus consilia de ipsis evertendis nulla potest impedire humana ratio aut gentium natio Prov. 21, 30. Esa. 8. 9, 10. ut tyranni à Deo sæpe mirabiliter sublati suo tragico exitu

exitu demonstrant, qui vel coercentur, vel delentur, ut Ecclesiæ pax restituatur, quemadmodum hoc loco satis benè ostendit Gualtherus, quando historiam Ecclesiæ, & illorum temporum, de quibus hic propheta loquitur, contexit.

Ex versu 23.]

I. *Die illo assumam te*] Deus promissionum suarum Ecclesiæ factarum, nunquam obliviscitur, & ne tum quidè, cùm omnia videntur maximè deplorata. Tum n. quando videtur suos dereliquisse Esa. 49, 14. assumit eos, & ad se congregat magnis miserationibus Esa. 54, 7. 8. & ut mater filium consolatur, sic suos solatio perfundit Esa. 66, 13. *Deus est memor suarum promissionum.*

II. *Serve mi*] Etiam illi, qui sunt in magistratu constituti, servi Dei sunt, Rom. 13, 4. ut Nebucadnetzar Jer. 25, 9. & 27. 6. Moses Num. 12, 7. David 2. Sam. 7, 5. proinde videant, ne suâ sibi concessâ abutantur potentiâ, quia graviter aliquando in eos inquiretur Sap. 6, 6. semper sit illis hoc in animo, aures q; illo personent, quod extat, 2, Chron. 19, 6. 7. Videte quid faciatis, non enim pro homine judicatis, sed pro Jehova, qui vobiscum est in rebus judiciariis. quare insit pavor Jehovæ vobis. *In magistratu constituti servi Dei.*

III. *Ponam te ut annulum signatorium*] Annulus signatorius datus à rege autoritatis summæ signum est certissimum Genes. 41, 42. Esther 3, 10. & cùm hic princeps eo insignitur titulo, potestatem ei datam esse agnoscimus. Porrò per magistratum pium religio Christiana potissimum propagatur, per quam illa Dei imago olim in creatione impressa Genes 1, 26. 27. Sapient. 2, 23. Sir. 17, 4. 5. 6. Sed post peccatum, quod ad præcipua dona, amissa, & in reliquijs valde obscurata, *Annulus notat potestatem, per eum imago Dei imprimatur.*

rata, ac per peccati rubiginem adesa, iterum restaura-
tur, renovatur 2. Cor. 4, 16. ac velut per signatorium
annulum hominum mentibus imprimitur 2. Corinth. 3,
18. Eph. 4, 17. 18, 23. 24. Col. 3, 9. 12. ut per hunc Dei an-
nulum signatorium, quem Deus gestat in sua manu Prov.
Annulus signatorius diaboli. 21, 1. Cant. 8, 6. Deut 33, 3. nempe filium carissimum, ejusq;
ministros veros. Contra autem sunt annulus signatorius
Diaboli, quotquot idololatrias inducunt vel tuentur, &
in recte sentientes sæviunt, quia illis propagatis errori-
bus, quicquid reliquiarum imaginis Dei restat, in homi-
nibus, plane exstinguitur, omnisq; generis mala indu-
cuntur, cum Deus hæc sigilla referat. Apoc. 6, 1. &c. Nos
verò, qui in Christo speramus, audito sermone illo veri-
tatis illius, i. e. Evangelico salutis nostræ a Luthero elec-
to Dei organo purè prædicato, per quod etiam, postea-
quam cum filio prodigo conversi sumus & credidimus,
ornati sumus annulo Luc. 15, 22. hoc est, obsignati su-
mus spiritu illo promissionis Eph. 1, 13. videamus, ne tri-
Admonitio. stemus illum Spiritum sanctum, per quem obsignati su-
mus Eph. 4, 30. cujus rei memoriam nobis renovare de-
bet, quoties vel ipsi gestamus, vel alios annulum aureum
& præcipuè signatorium habere videmus. sed plerumq;
tantùm hic gestatur cum veste splendidâ, & Spiritus S.
non habetur, excussus per flagitia Jacob. 2, 2. Itaque
Votum. oremus, ut Deus nos confirmet, & porrò eodem spiritu
obsignet 2. Cor. 1, 21. 22. ut etiam in nobis solidum stet
fundamentum Dei, habens hoc sigillum: Novit Domi-
nus, qui sunt sui, &, Abscedat ab injustitia, quisquis no-
minat nomen Christi 2. Timoth. 2, 19. & ut nos haben-
tes hoc sigillum Dei per pium magistratum, & ab eo con-
stitu-

ſtitutos verbi miniſtros impreſſum Apoc. 7, 2. 3. ſervemur cum illis frontem inſignitam habentibus, qui ſuſpirant & exclamant propter abominationes iſtas, quæ fiunt in mundo hoc perverſo Ezech. 9, 4. Sic dicemus olim in cœlis triumphantes: Benedictus ſis Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixiſti nobis omni benedictione ſpirituali in cœlis per Chriſtum Eph. 1, 3. tibi ſit gloria & nunc & ad tempus ſempiternum. Amen. 2. Pet. 3, 18. Δοξολογία.

ΠΑΝΤΟΤΕ ΔΟΞΑ ΘΕΩ.

Nahum 2, v. 1.

חֲגִי יְהוּדָה חַגֶּיךָ
שַׁלְּמִי נְדָרֶיךָ

I. Index
Autorum, quorum sententia vel approbatur vel refutatur.

Augustinus	5.	Hieronymus	37. 69
Bellarminus	60. 68.	Horatius	2. 16. 25
Buxtorfius	19 47. 59.	Josephus	8
Calvinus	8.	Junius	14. 49
Calvisius	9	Justinus	8
Carion	8.	Juvenalis	27
Chemnitius	55.	Lombardus	55
Cinglius	33.	Lutherus	4. 8 20. 27. 47
Drusius	19.	Meisnerus	33
Eusebius	8.	Meuschius	9
Goclenius	33.	Ribera	19. 51
Gualtherus	8. 19. 33.	Theophylactus	7
Helvicus	58.	Virgilius	10. 25. 72
Herodotus	8.	Wigandus	8. 19

II. Index
Vocum Hebræarum, quæ hîc declarantur.

2.	נָבִיא	48.	חֲמָרָה	12. 69.	זְרֻבָּבֶל
2.	נִבָּא	12.	יְהוֹשֻׁעַ	1.	חַגַּי
16.	סְפוּנִים	22.	מִפְּנֵי	2.	חָנָנ

III. In-

III. INDEX
Rerum & Verborum Memorabilium.

Abstractum pro concreto 48
Ædificiorum luxus 25
Afflicti quidam sunt diu 56
Afflicti nos excutiamus & componamus 26
Analysis cap. I. 6. 7
cap. II. 38. 39. 40
Annulus notat potestatem 75
Annulus signatorius Diaboli 76
Argumentum cap. I. 5
cap. II. 37. 38.
Benedictio Dei 27
Candor decet Theologos 66
Canes muti 23
Canonicus est hic liber 2
Capitis apertio sine devotione inutilis 66
In Captivitatè conversi 10
Carnem sanctam gestans non sanctificat, quæ tangit 61
Christus annulus Dei signatorius 70
desiderium gentium 57
in fœdere cum Abrahamo initio comprehensus 55
mediator 54
sedat bella 69
servus Dei 70
venit in carnem 57
verbum patris 44. 54
Cœlum concussum 74
Commotio cœli & terræ 46
Conversis Deus est gratiosus 36
Concordia status Ecclesiastici & Politici 12
Copia divinum præmium 31
Corpus pij templum Dei 23
Crux sine memoria crucifixi 66
Darius quis apud Haggæum intelligatur 8
Desiderium 48
Desiderium gentium Messias 47. 57
Dei præsentia animet 35. 43
Deus αὐτέρκης 50
adest suis 54
benedicit piis 64
efflat improborum bona 20
consiliarius optimus 12
conservat Ecclesiam 57
novit cogitationes 22
recedit à malis 12
sustentat homines 27
vestit 28
Diabolus variis modis pietatem impedit 53
Dicere i. e. cogitare 15
Dictum Jehovæ *cur toties repetatur apud Haggæum & Zachariam* 34.

Dies Dominicus 7
Diligentes juvat Deus 63
Diteſcere cupientes 28. 30
Diviſio hujus libri 5
Divitiæ ſunt Dei, & à Deo dantur 58
Diuturnum Deo non eſt diurnum 56
Domus Dei materia unde? 29
Domus prior magnificentior 41
Poſterior glorioſior 50
Eadem de iisdem docenda 28. 65.
Ebrietas i. e. copia 17
Elementa ſermonum Dei oportet diſcere 37
Ellipſis duorum ſubſtantivorum 59
Exempla div. afflictorum 56
Fames eſt publica pœna 67
Fertilitas agri eſt à Deo 68
Gentium vocatio 47
Gloria Dei quærenda 31
vera in cœlis 53
Gloria vera 58
Haggæus quis 1. 2
quando vixerit 3
ſolatur 33
Hebr. 12, 26. conciliatur cum Haggæo 48. 49
non agitur de ultimo Chriſti adventu 49
Herodes non exſtruxit templum ſecundum 50. 51
Jehovæ vox hypoſtaticè, pro patre uſurpata 43
Immundus polluit quæ tangit 6.
Immundis omnia immunda 67
Inobedientes Deus punit 67
Judæorum negligentia reprehenditur 4
argumentum refellitur 14
Lex ſemper eſt acuenda 32.
nota eſſe debet Theologis 65.
Libanus mons 18.
Liberateribus populi Deus loquitur 11.
Loca conventuum publicorum ſacrorum 29.
Loculus pertuſus 18
Lutherani veri 13
Magiſtratus cultum Dei promoveat 74
Deum metuat 75
In Magiſtratu conſtituti ſunt ſervi Dei 75
Magnates quomodo ſibi æternam cum benedictione comparent memoriam 10
arguendi ſunt, quum peccant 13. 32. 33.
Majoribus promiſſa, data poſteris 71
Maledictio unde? 27. 31
Malis ne delaſſemur 53
Malis afflicti multi non agunt pœnitentiam 64
Manus i. e. locutio movens 9
Meſſias exhibetur 45
implet domum ſecundam gloria 47

Messias Judæorum 8.
Ministri verbi Dei os & manus 11. 33.
ipsorum verbum est Dei verbum 33.
suus legati Dei 35.
mali non imitantur Christum aut alios bonos doctores 73.
Modicum 45
Muti canes 23 24.
Negligentes puniuntur 63
Negligentes quidam in templis & scholis excitantur 71. 72
Occasio exhortationis Haggæi 42.
duorum typorum hîc explicatorum 59.
Officium ministrorum verbi 73 74.
Opera Deo placentia 36.
Ordines omnes in Ecclesia faciant officium 37.
alloquitur Haggæus 41
Pars optima eligenda 24
Pax vera 59
Pax non fuit in templo Herodis 51.
Penuria 21.
Pietas utilis 68.
Pœnis non corrigi homines Deus conqueritur 68.
Ponere cor 16.
Populis terræ 43
Prolegomena 1.
Prophetæ deducunt auditores ad Christum 52.
Rationes, cur templum sit ædificandum 43. 44. 45.
Regis Persarum cur fiat mentio 8.
Regna evertuntur 69.
Reliquiæ populi 21.
Ritus externi sine fide nil prosunt 65.
Sacrificia sine fide nõ placent Deo 62.
Sancta placent Deo 67.
Scipio panis 17.
Scriptura attendenda 52.
Spiritus S. præsentia 44.
datur credentibus 55.
fiat 56.
Summa libri hujus 2.
Templum 40. annis ædificatum 4.
frequentandum 30.
quomodo spiritualiter vastum 30.
Temporum annotatio 7. 40. 41.
In Tempus malè culpare jubetur 15
Terræ filij 22.
Trinitatis mysterium 45.
Verbo prædicato Deus benedicit 36.
Veteres Christum expetebant 28.
Viri Dei 11.
Unus i. e. primus 7.
Unus sensus unius loci 51.
Usus hujus libri 5.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729966941/phys_0093
DFG

MEnda pleraq́, Lector amice, ſperamus eſſe leviora, quam ut neceſſe ſit de iis te monere: duo tamen in unà paginà 24. lin. 6. & 16 memineris corrigere, ibi *nummum*, hîc *Dæmonis* ſubſtituens, Ita vale, ave & fave.

Zachariæ 14. v. 19.

זאת תהיה חטאת מצרים וחטאת כל־הגוים
אשר לא יעלו לחג את־חג הסכות׃

Επιμέτρου loco ſubjicio hos verſus.

ERgône FESTIVUM tam triſti ætate prophetam?
Qui mundana ſapit, talia nemo capit.
Sed tu, cui mentem colluſtrat gratia Jovæ,
Felix, hæc mecum ſi mediteris, eris.
Judæos velut antè malos maledictio preſſit,
Et perfuderunt ut bona dona bonos:
Sic tibi Jova pio pleno daret optima cornu,
Jure ſuo immittit ceu mala multa malo.
Hiſce emendarunt moniti meliora, Iehovæ
Templum exſtruxerunt mente manuq́ piâ:
Tu quoq́, cum duris ubi conflictabere, vitam
Corrige; cor templum ſit maneatq́ Dei.
Sic res adverſæ non tollunt gaudia ſacra,
Nec nimis ille pavet, cui Deus ipſe favet:

HAC-

Haggæo monitore colit solennia festi
Jugiter in Domino, qui manet in Domino.
Sanctus at impuro durare in pectore nescit,
Corda habitare cupit purificata fide.
Illa typo duplici vates monstrare laborat:
Hic sal, quo meritò hæc putida secla frices.
Prodeat Haggæus, complectitur omnia paucis:
Festa amissa docet quo reparanda modo,
Sedulus ostendit, quo sint ornanda decore,
Intermissa monet quo celebranda animo.
Ergo festivum tam tristi ætate Prophetam
Qui didicisse studet, sat benè sacra studet.

יְהוָֹה יִרְאֶה׃

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729966941/phys_0095
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729966941/phys_0096
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729966941/phys_0100
DFG

quomodo quod in genere dicitur, sine
risq; interpretibus coarctatur, quo-
nes in hac explicatione includuntur,
ur; siquidem in statu Ecclesiastico co- Coronæ
i fuit, præsentia Dei gratiosa & mi- populi
lle Dei variis ceremoniis ac ritibus à Iudaici.
ac ornatus, item templum sumptuo-
ulcerrimum. In statu politico re-
ronam seu regni diadema denotatur
ron. 20, 2. Psal. 21, 14 Jerem. 13, 18.
o omnis ornatus gloriosus gaudium &
quidem veteres in nuptiis & convi-
enis sertisq; fragrantibus, quæ omnia
nus felicem præ omnibus gentibus in
onabant, quibus omnibus jam privati
vi) ergo væ nunc nobis, quia pec-
ipsos flagitiis nostris indignos tâm no-
mus? Sicut enim virgo, ubi de virgi-
ugium, coronam amplius gestare non
e hat das Kräntzlein verlohren: sic
se idololatriâ & spirituali adulterio
nâ suâ privata est, omniq; decore, quo
it.
hic observes licet רֹאשֵׁנוּ לָנוּ חֻמָּאנוּ.
abulum ita pro quovis ornatu glorioso Corona.
e Job. 19, 9. Prov. 4, 9. & 12, 4. & 14,
62, 3. Ezech. 16, 12. 1. Corinth. 11, 7.
2, 19.
ornat homines Dei timor, mox amit- Decor pe-
& si quis non in semitis domini va- rit.
dit,